JOH. BERN. DE-ROSSI

LING. OR. PROF.

BIBLIOTHECA JUDAICA

ANTICHRISTIANA

QUA EDITI ET INEDITI

JUDAEORUM

ADVERSUS

CHRISTIANAM RELIGIONEM

LIBRI RECENSENTUR.

EX REGIO TYPOGRAPHEO

M. DCCC.

Res. 1170
R.52686

ERUDITO LECTORI

JOH. BERN. DE-ROSSI

Illustratis hebraicis editionibus sec. XV et ineuntis XVI, secretiorem alteram aggredimur hebraicae bibliographiae ac litteraturae partem quae monumentorum raritate ac gravitate cum prioribus illis videtur contendere. Siqui sunt libri rarissimi, siqui minus noti, sunt sane judaici antichristiani, ii praesertim qui sunt in nos paullo acerbiores, injurii, virulenti, blasphemi. Judaei tanta arte eos occultant, tam caute custodiunt, ut nosse, videre, extorquere sit difficillimum. Ex quo fit, ut non modo ad christianorum manus raro deveniant, sed et sint iis plerumque ignoti, et ex tot nostris polemicis scriptoribus paucissimos reperias qui eorum

unum vel alterum viderint. Ii soli excipiendi, quos christiani ipsi, qui eos non reformidant, ediderunt, quibus et sua stat raritas. Qui de iis agunt utriusque nationis bibliographi, sunt et ipsi rariores et imperfecti. Porro si revincendi sunt judaei, si eorum arma retundenda, si christiana religio ab eorum cavillationibus vindicanda, libri hi diligenter sunt cognoscendi. Primus hic est isque necessarius ad pugnam ac confutationem gradus. Poscit hoc ecclesiae dignitas et christiani theologi munus. Patet hinc instituti nostri nostraeque hujus exiguae *Bibliothecae* utilitas et usus, quae singula haec judaeorum scripta accurate recenset. In eorum numero inedita plurima et ignota, plurima quae nos ipsi, ne quid ad opellae perfectionem deesset, multo studio, labore et aere feliciter corrasimus.

Dab. Parmae die x martii MDCCC.

BIBLIOTHECA JUDAICA

ANTICHRISTIANA.

Asteriscus designat opera quae in auctoris bibliotheca reperiuntur.

A

1 Abendanae Jacobi *Disputatio epistolaris cum Ant. Hulsio*, heb.-l. 4. Lugd. B. 1669. Disquiritur de gloria majori templi 11, constatque quinque Hulsii, ac tribus nostri epistolis. Extat etiam ad calc. *Nuclei prophetici* 4. ib. 1683. V. Wolf. T. I. p. 579. Hisp. ejus vers. *Cuzarì* V. sub R. Jeh. Levita.

2 * Abraham Gher seu Proselyti Cordubensis *Fortaleza del Judaismo y confusion del estraño*, *Munimen Judaismi ac confusio extranei*, hispanice MS.

Ineditum opus, Scabtaeo, Bartoloccio, Wolfio doctioribusque reliquis judaeorum ac christianorum bibliographis ignotum, cujus bina in bibliotheca nostra extant exempla. Auctor est christianae religionis apostata seu ex christiano judaeus, unde nomen Gher seu Proselyti assumpsit, nec dubito quin sit Abraham ille Peregrinus, quem in *Relatione*

sua *poetarum hispanorum* p. 54 laudat Barios, et ex eo Wolfius T. III *Biblioth. heb.* p. 60 sub n. CXXXVII c., quin tamen alteruter ullam ejus patriae, aetatis ac polemici hujus scripti mentionem injiciat. Corduben-sem se auctor ipse appellat ad calcem praefationis, *Abraham Guer de Cordova*, scriptoresque ac sectae quas commemorat, evincunt eum exeunte sec. XVI et ineunte XVII floruisse. Extranei nomine in titulo christianum is intelligit, quem potissimum refutat. Totum opus in duas partes dividitur, quarum altera XXIII, altera XXX capita complectitur. Ita unum ex duobus meis exemplis paullo antiquius. In recentiori altero ea partium divisio deest, ac numerantur capita LIII. Prior pars agit de scientiarum utilitate, de Dei existentia ejusque unitate ac simplicitate, multisque capitibus contra personarum distinctionem, pluralitatem, trinitatem, Messiae ac Christi divinitatem et imaginum cultum disputat. Posterior de divina lege, ejusque perfectione, sanctitate, veritate, immutabilitate, de promissi Messiae certitudine, ejus genere, patria, ortu, titulis, arguuntur qui ajunt eum advenisse, LXX Danielis hebdomadae aliaque christianorum argumenta expenduntur, isque adhuc venturus ostenditur, postremo potiora legis praecepta ac mysteria explanantur. Operis notitiam,

titulum, et integrum testimonium ex cap. xx secundae partis jam ab anno 1773 doctis suppeditavimus in tractatu nostro *Della vana aspettazione degli ebrei* pag. 11 in notis. Hebraice illud sub titulo צריח בית אל *Turris domus Dei* transtulit Marcus Luzzatus. Vide infra sub hoc nomine.

3 Abraham ben Chasdai ויכוח הדת *Vicùach adàth*, *Disputatio de religione* MS.

De ea tamquam anonymi auctoris l'Empereur in not. ad *Bavà kamà* p. 70, Hottingerus *Thes. phil.* p. 48, et Wolfius T. II p. 1292. At vero ab Abrabanele *Comm. in proph. post.* fol. 78 col. 3 media tribuitur R. Abr. ben Chasdai, ut notat id. Wolfius T. IV pag. 763. Latine se eam vertisse testatur l'Empereur in *Epist. ad Schraderum*.

4 * Abravanel R. Isaac פרוש על נביאים אחרונים *Perùsc hal nevìim acharonìm*, *Commentarius in prophetas posteriores*, seu *Isaiam*, *Jeremiam*, *Ezechielem ac XII minores*, in fol. Pisauri an. 280, Chr. 1520.

Recusus est Amstelodami anno 401 seu 1641. Sed prior editio, integrior et rarior, praeferenda, de qua *Annales* nostri nuperrime editi *hebraeo-typ. a MDI ad MDXL* p. 20. Antiquae reliquae, quas le Longius, Maittairius, Wolfius, Maschius, Boissi recensent, sine anno et loco, Pisaurensis 1511 ac Soncinensis 1520, falsae sunt. V. *Anna-*

les heb.-typ. sec. XV p. 176 et *a MDI ad MDXL* pag. 52 et 57. Sat notus est antichristianus Abarbanelis, seu Abravanelis, ut rectius eum appellant judaei hispani, ejusque operum character. „ Fuit infensissimus, inquit Bartoloccius *Bibl. rabb.* T. III p. 875, christianorum in Scripturis apertus inimicus, ut mirum sit eo tempore quo calamo maledicta in christianos scripto exarabat, eodem quoque ut ita dicam momento principibus christianis adulabatur. Christianorum consortia non evitabat, sed fovebat mansuetudine, familiaritate, animi alacritate et dicteriis ita jucunde prolatis, ut eum alterum christianum credidisses; intus tamen versipellis venenum fovebat, quod atramenti commixtum liquore contra christianam religionem evomuit in chartas. Illius blasphemias in Christum Domini, in ejus ecclesiam, in summum pontificem, cardinales, episcopos, totumque clerum, et christianos omnes, praesertim Romanos, per omnes fere Commentarios sacrae scripturae sparsim disseminavit. Praecipue vero in Commentariis super prophetas posteriores, quos ita foedavit, ut vix pagina sit quae ab hac pestifera lue immunis inveniatur „. » Persuasissimi sunt judaei, notant *Acta erudit. Lips.* an. 1686 p. 528, hunc doctorem cuncta christianorum argumenta solidissime solvisse, ut nulla elaben-

di rima supersit, omnemque eorum doctrinam funditus evertisse. Nec nisi magna de hocce suo heroe venditat gens palabunda, non vulgaria in eo quaerens fictae spei gloriosi redemptoris praesidia ». Potissimum autem ex ejus *Commentario in proph. posteriores* „ instructissimum mataeologiae judaicae, quatenus fidei christianae directe opposita est, promtuarium peti „ recte observaverat etiam Pfeifferus in praef. ad Lipsiensem nostri auctoris edit. *Commentarii in proph. priores*. Quae in nostro hoc *Commentario* ad Isai. LII et LIII adversus nos habet Abravanel, seorsim cum antidoto ac refutatione sua edidit l'Empereur 8. Lugd. Bat. 1631 et Franequ. 1687, eaque heb. et lat. disputantium examini subjecit Granbergius 4. Lond. Scanorum 1723. Quae ad Isai. XXXIV et Obadiam, latine vertit ac confutavit Schnellius 4. Altorfi 1647, et quoad Obadiam, etiam Pfeifferus in *Tract. phil. anti-rabb.* 4. Wittenb. 1664 et 1670, ejus vero pseudhermeniam ad Isai. VII, VIII, IX in *Commentatione anti-rabb.* Gryphiswald. edita Koppenius repulit. V. Wolf. T. I p. 632, III p. 541, et IV p. 876.

5 * Ejusdem מרכבת המשנה *Marchèved ammiscnè*, *Currus secundus* vel *duplex*, seu *Comm. in Deuteronomium*, in fol. Sabionetae an. 311, Chr. 1551.

Antichristiana loca haec sola servat princeps ac rarissima editio, in reliquis rejecta. De hisce locis et editione ipsa conferantur quae fuse diximus alibi *Annali ebreo-tip. di Sabioneta* pag. 10, ac seqq. Ex ea plurima in christianam fidem directa posse restitui jam dudum observaverat Wulferus in animadvers. ad *Theriacam judaicam* p. 138.

6 * Ejusd. מעייני הישועה *Majenè ajescuà*, *Fontes salutis*, seu *Comm. in Danielem*, in 4. Ferrariae an. 311, Chr. 1551 et Amstelod. 407, Chr. 1647.

Ita Ferrariae prior editio, non CPoli, Soncini, Neapoli, Monopoli, Venetiis, ut frustra pluribus congestis erroribus a plerisque bibliographis putatum est, quorum nonnulli et in anni descriptione errarunt. V. *Comm.* nostrum *hist. de typogr. heb. Ferrar.* p. 18–22, et *Annal. heb.-typ. sec. XV* p. 173. Est in manibus nostris utraque editio et utraque rara, sed Ferrariensis multo rarior, ut animadvertimus et ex Buxtorfii, Mulleri, Freitagii, Clementis sententia comprobamus in priori illo opusculo. Liber in XII fontes, quilibet autem fons in aliquot palmas, seu minores sectiones dividitur, in quibus multa auctor contra christianos disputat. Quae is ad Dan. VII 13 fonte VIII palma IX adversus servatorem nostrum conscribit, cum lat. versione ac confutatione

exhibet Carpzovius in *Disput. acad.* diss. IX, ea vero quae de LXX hebd., Hulsius in *Theologia judaica*. Huc etiam pertinet, Wolfio teste, Varenii *Refutatio decem characterum de Jesu non Messia* 4. Rostoch. 1669. Totum librum latine verterat Buxtorfius filius, sed non edidit. V. Buxtorfii nepotis *Catalecta philol. theol.* p. 442, et *Catal. bibl. Spizel.* inter mss. num. 147.

7 * Ejusd. משמיע ישועה *Mascmìa jescuà*, *Praeco salutis*, in fol. sine loco, sed Thessalonicae anno 286, Chr. 1526, in 4. Amstel. 404, Chr. 1644, et Offenbacii an. 527, Chr. 1767.

Thessalonicae prodiit prima illa rarissima editio, non Neapoli, ut notat Scabraeus in *Sciftè jescenìm* p. 505, nec CPoli, ut Majus *Vita Abrab.* p. 16. V. *Annal.* nostros *heb.-typ. a MDI ad MDXL* p. 29, et 60. Perperam etiam Neapolitana illa editio, et quidem non unica, sed duplex obtruditur in titulo postremae Offenbaciensis, quam vidi apud judaeos Liburnenses, ut perperam testatur Carpzovius *Disput. acad.* p. 92 CPolitanam extare in bibl. academica Argentoratensi. Quarta denique, sed non integra ac potiores tantum prophetias complexa, Helmstadii Winckleri cura vulgata est in fol. sine anno et loco notato, de qua Majus cit. l. et Wolfius T. I p. 635. „ Inter libros,

inquit Carpzovius cit. *Disp.* p. 1042, quos luci publicae exposuit (Abarbanel), ut impietate, si rem consideremus, ita, si tractandi modum, acumine palmam reliquis sine dubio dubiam facit decantatum illius משמיע ישועה „. Auctoris institutum est in hoc libro selecta varia septemdecim prophetarum oracula explanare, המורים מהכרח על הגאולה העתידה *quae necessario*, ut inquit in praef., *ostendunt redemptionem futuram*, שאין דרך לפרשם בדרך רוחני על עניני הנפש בלבד כאשר רגשו גוים ולאומים *quaeque nulla ratione exponi possunt spirituali sensu de rebus ad animam tantum pertinentibus, ut obstrepunt gentes et nationes*, seu christiani, eaque demonstrare de futuris temporibus absolute intelligenda et adhuc implenda. Hinc de tempore adventus Messiae, de ejus nominibus, dotibus, characteribus, signis, operibus, regno, victoriis, de judaeorum liberatione, de edomaeorum seu christianorum destructione, aliisque similibus argumentis perpetuo contra nos disputat, plenissimumque sistit recentioris judaeorum de Messia nobisque oppositae theologiae systema.

8 * Idem liber משמיע ישועה sive *Praeco salutis in linguam latinam translatus ab Joanne Henrico Majo filio* 4. Francof. ad M. 1711.

Praemittitur Vita auctoris ab interprete collecta, et adjiciuntur emendationes textus

rabbinici. Ita 1711 meum exemplar quod ad cel. Jo. Alb. Fabricium pertinebat, non 1712, ut habet Wolfius T. 1 p. 636. In praefatione observationes suas ad hunc librum promisit Majus, sed non edidit. Ante Majum latine verterat Jo. Wulferus, quam versionem MS. apud ipsum Wulferum servari, ut ex ejus ore perceperat, tradit Bartoloccius in append. ad T. III pag. 946. Idem olim consilium Scherzero et Cramero, idem Carpzovio, qui et versionis specimen in *Disp. acad.* edidit. V. Wolfium cit. l. et Koëcheri *Analecta* T. I p. 76.

9 Ejusd. Abrabanelis ישועות משיחו *Jescuòth mescichò*, *Salutes Messiae sui* MS.

Male deperditum testantur Wolfius T. I p. 638 et Boissi *Diss. pour servir à l'Hist. des juifs* T. II p. 291. Nec id notat praefatio editoris *Majenè ajescuà*, ad quam Wolfius appellat, sed tantummodo *ignorari locum ubi extet*, אך לא נודע מקומו איו. Ejus exemplar habebat CPoli Jacobus Romanus, ut ex Legero animadvertit Buxtorfius in app. ad *Bibl. rabb.* p. 448, et ex Buxtorfio Wolfius ipse T. III p. 543. Aliud exemplar ex CPoli in biblioth. Colbertinam anno 1676 illatum possidet bibliotheca publica Parisiensis, ut constat ex ej. *Catal. mss.* T. I p. 18 cod. 199, ubi tamen mendose titulus exhibetur *Jeschuot Hammeschiach*,

idest salus per Messiam. Libri institutum aperit Abrabanel ipse in *Responsione ad quaesita* R. Saul Coèn fol. 12, dicens esse „ expositionem eorum omnium quae in Gemarà et Medrascim traduntur de Messia et redemptione, et literali sensu nequeunt interpretari „. Atque ut plurima sunt inter haec vetustissimorum rabbinorum testimonia et traditiones, quae favent christianorum causae, ut alibi observavimus in *Esame delle riflessioni teol. crit.* p. 74, dubitandum non est, quin ea singula ad suum sensum detorqueat, multaque et in hoc libro adversus nos disputet. Quod vel ex eo patet, quod eum cum binis aliis *Majenè et Mascmìa jescuà*, qui certe ad antichristianorum classem pertinent, in unum corpus ac volumen, ut subdit, conjunxerit, quod מגדול ישועות *Migdòl jescuòth*, seu *Turrim* vel *Praesidium salutis* appellavit. Abrabanelis verba repetit *Scalscèled akkabbalà* fol. 64 b, non 44, ut habet Wolfius et ex eo Boissius c. l.

10 * Albo R. Joseph ספר עקרים *Sèfer ikkarìm*, *Liber fundamentorum*, vel *articulorum fidei*, fol. Soncini an. 246, Chr. 1486.

Item Thessalon. 281, Chr. 1520, in 4. Venetiis 281, Chr. 1521, Arimini 282, seu 1522, Venet. iterum 304, seu 1544, et 384, Chr. 1624, Lublini 357, Chr. 1597, et cum R. Ghedaliae fil. Salom.

Comm. עץ שתול *Arbor plantata* fol. Venet. 378, Chr. 1618. Ex hisce editionibus tres in manibus nostris sunt, Soncinensis omnium princeps, Ariminensis ac Veneta 1544 omnes rarissimae. Primam illam fusius illustravimus in *Annal. heb.-typ. sec. XV* p. 44, ubi et nonnullos bibliographorum errores emendavimus, brevius tres quae proxime sequuntur, in *Annal. a MDI ad MDXL* pag. 22 et 24. Opus hoc sat celebre, de quo plura Bartoloccius T. III p. 797 et Wolfius T. I p. 503, III pag. 381 et IV p. 848, dum judaica adstruit fundamenta, nostra identidem divellit, hucque potissimum trahendum caput XXV partis III, quod christianis totum oppositum est, in plerisque tamen, quod miror, editionibus ac fere omnibus retentum. Nam quod sciam, illud omittunt solae Venetae an. 1618 et 1624, reliquae omnes servant, quamquam in iis tanta nostrorum fidei inquisitorum cura ac diligentia recisum vel obliteratum, ut rarissimum prorsus sit integrum et intactum exemplar. Ex Soncinensibus sane multis quae nactus sum, nullum reperi, ex reliquis unicum pretiosum, quod bibliothecam nostram exornat, et pertinet ad edit. Venet. 1544, de qua Carpovius in *Animadv. philol. crit.* p. 79 in notis. In cod. nostro 136 multa deleta. Integrum librum latine verterunt

nonnulli a Wolfio allati, quibus *Miscellanea Duisburgensia* addunt J. C. Schollium, qui et illum praelo paraverat. Sed hucusque nemo edidit. Quae contra christianae religionis dogmata auctor scripsit, ea seorsim latine versa vulgavit strictimque confutavit Genebrardus. Vide ejus Albonis *Argumenta, quibus nonnullos fidei christianae articulos oppugnat*, 8. Parisiis 1566.

11 Ejusd. ספר אשר נתוכח עם הגמון אחד *Liber in quo disputatur contra quemdam episcopum*, hispanice MS.

Liber hic solius R. Abr. Zacuti fidei innititur, qui in *Juchasin* fol. 134 praeter *Ikkarìm* auctorem nostrum librum alium subdit composuisse בלשון לעז *lingua vulgari* seu hispanica contra episcopum quemdam, non memorato nec episcopi nomine, nec libri titulo. Wolfius qui eum ex Zacuto innuit T. 1 p. 505, addit *sive pontificem*, Rodriguez vero de Castro qui ex Wolfio *Biblioth. esp. rabb.* T. 1 p. 229, ex conjectura, ut opinor, subdit *contra lo actuado en la disputa de Geronimo de santa Fe, y contro lo dispuesto por el papa Pedro de Luna*. Quod prorsus incertum, nec sat Zacuti testimonio comprobatum. Idem cum nostro hoc vel cum *Ikkarìm* videtur liber מאה דפין *Centum folia*, quem ut de religionis articulis pariter disputantem auctori nostro vindicat Scabtaeus

p. 36 et ex Scabtaeo Wolfius c. l. *Scalscèled* enim *akkabbalà*, unde haec desumpsit Scabtaeus, illud unum notat fol. 61 b, non a, ut habet Wolfius, librum illum *a nonnullis dici esse centum foliorum* ק׳ שהיה ר״א דפים, neutiquam vero praeseferre eum titulum. Scabtaei errorem alio suo auxit *Seder adoròth* fol. 170, Josephi Malcù nomen obtrudens.

12 * *Altercatio judaei Amstelodamensis cum Rittangelio* a Wagenseilio edita in *Telis igneis satanae* heb.-lat.

Per epistolas hinc inde datas. Versatur circa Jacobaeum oraculum et a pag. 328 ad 373 ejus operis progreditur.

13 *Αντιθεσις Εβραίων πρὸς χριστιανοὺς μετὰ Αθανασίου καὶ Κυρίλλου περὶ σταυροῦ καὶ εἰκόνων, Disputatio judaeorum cum Athanasio et Cyrillo de adoratione crucis et sacrarum imaginum*, graece MS.

In bibl. Caesar. V. Lambecium T. V p. 136.

14 * Arama R. Isaac חזות קשה *Chazuth kàscà*, *Visio dura* 4. Sabion. 312, Ch. 1552.

Aramam in hoc libro in christianos etiam et turcas insurgere recte observat Bartoloccius T. III p. 919. Praestat id praesertim sect. VII et VIII. Venetam editionem nescio unde hauserit Wolfius. De ea silent doctiores bibliographi judaei et christiani, et suppositiam puto, ut Sabionetensem alteram

an. 1590, quam Bartoloccius et ex eo Wolfius addit T. I p. 687, et ex utroque Rodriguez de Castro *Bibl. rabb. espan.* T. I p. 361, qui praeterea hanc nostram neglexit. Conf. *Annal.* nostri *Sabion.* pag. 12 et 29.

15 Ariè seu Leonis R. Jacobi Jehudae *Disputas con diferentes theologos de la christianidad*, *Disputationes cum variis theologis christianis* hispan. MS.

Dan. Levi de Barrios *Vita Isaaci Uzielis* p. 49, Basnage *Hist. des Juifs* T. IX pag. 1059 et Wolf. T. III p. 466. Quum Middelburgensis is sit, forte Disputationes hae eaedem sunt cum *Colloquio Middelburgensi*, quod confutavit Mullerus. V. eund. Wolf. ib. p. 709, et quae infra sub R. Menassè ben Israel dicemus.

16 * Ariè R. Jehudae seu Leonis Mutinensis מגן וחרב *Maghèn vachèrev*, *Clypeus et gladius* MS.

Ineditum et ignotum celebris hujus rabbini opus antichristianum, quod in bibliotheca nostra extat. Vide cod. 1141 et ad eum adnotata. Dividitur in quinque מחנים *acies*, et acies quaelibet in מערכות *ordines*. Incipit autem ab originali peccato, quod constituit esse christianae religionis fundamentum, primaque verba vel verborum elementa ידיעת השרש ועקר דת הנוצרים אשר ראשו יסוד האמונה,

cognomen *Jehudà Arìè*. Peccatum illud aggreditur acies I, II trinitatem, III incarnationem, IV Mariae virginitatem seu servatoris nostri ortum ex virgine, V ubi de Messia et ejus conditionibus, illius characteres et notas. Qui fol. 40 supplevit, notans in inferiori margine libri acies vel sectiones, quatuor alias subjicit, de morte et resurrectione, de aeternitate legis, de diuturnitate exilii, de imaginibus, missa et eucharistia, quas scriba non descripsit, nec codex continet.

17 Athiae Isaaci *Versio hispanica* libri *Chizùk emunà* seu *Muniminis fidei* R. Isaaci fil. Abr. MS.

Extat in Bodlejana. V. *Catal. mss. Angliae* T. II n. 3608 et Wolf. T. III p. 546 et 610. Hancque versionem eam esse puto quae inter hispanos judaeos, Amstelodamenses praecipue, circumfertur, ac memoratur a Basnagio *Hist. des Juifs* T. IX pag. 938 et a Collinio *The Discourse of the grounds of christianity* pag. 82. Item eandem cum hisp. *Confirmatione fidei judaicae contra christianos*, quam ex ms. nota Rudolphi Capelli recenset Wolfius T. II p. 1051.

B

18 * Bechai ben Ascer ביאור על התורה *Biùr àl attorà*, *Expositio* seu *Comment. in Pent.* in fol. Pisauri an. 267, Chr. 1507.

Et ibid. 274, 277, Chr. 1514, 1517, CPoli 277, Chr. 1517, et Arimini 286, Chr. 1526. Hae potissimum antiquae editiones consulendae, ut et mss. codices, in quibus quae habet Bechai in christianos injuria, integra vel fere integra retinentur, non posteriores, in quibus sublata. Binas priores possidemus, singulas autem illustramus in *Annal. heb. a MDI ad MDXL.* Quae ante Pisaurensem primam factae perhibentur, falsae sunt. V. *Annal. sec. XV* p. 152 et 159.

19 * בשורת משיח בן דוד *Bescoràd*, sive *Evangelium Messiae filii David* MS.

Seu de ejus regno, fide una, pace universali et aeterna, israelis redemptione, reaedificatione Jerusalem, vita longaeva, bellis Gog, confirmatione legis mosaicae, de caussa exilii, ejus diuturnitate etc. Ignoti auctoris libellus quem exhibet cod. noster 1201.

20 ביאת המשיח *Biad ammascìach*, *Adventus Messiae* MS.

Ex ms. nota Amstelodamensi, quae subdit: כולל ייעודי הגאולה העתידה מתנך שעדיין לא נתקיימו „ Complectitur testimonia futurae redemptionis ex lege, prophetis et agiographis quae hucusque non sunt adimpleta „. Nota futurum Messiae adventum et judaeorum redemptionem, qualem ii expectant, non modo doctrinae nostrae opponi, sed et cum christianorum destructione conjungi.

21 * Bibago R. Abraam דרך אמונה; *Dèrech emunà*, *Via fidei*, f. CP. 282, Chr. 1521. Non 1522, ut habent Bartoloccius ac Wolfius. V. *Ann. a MDI ad MDXL* p. 23. Sect. v, ubi de fidei articulis, non pauca contra nos disputat in exempl. nostro delecta. Articuli ipsi nobis oppositi. V. Jo. Henr. Wolf. *Annot. ad praef. Michtam ledavìd* p. 14 et Christoph. Wolf. T. IV p. 755. Conf. etiam Bartol. et Basnagius T. IX pag. 539, qui tamen male librum R. Scem Tov Legionensi adscribunt. Idem de Maimonidis *Articulis* sentit Buxtorfius in *Synag. jud.* p. 24.

22 * Briel R. Jehudà משגורת על סיפורי השלוחים *Assagòth hàl sippurè asceluchìm*, *Animadversiones* vel *Argumenta contra narrationes apostolorum* seu *Evangelia* MS.

Extat in bibl. nostra in cod. 1202, ad quem conferantur adnotata. Auctorem quaedam ad veritatem religionis judâicae stabiliendam scripsisse ex Contarini testimonio jam monuerat Wolfius T. III pag. 306. At vero quae ea fuerint, nec ipse, nec post eum alius quispiam prodidit. Tria nos hic primum exhibemus, quae feliciter corrasimus, et acquisivimus. Nostrum hoc Briel ipse citat in *Risposte al Pinamonti* fol. 48, et 120 „ come da me accennate in operetta ebraica intitolata *Argomenti* o siano *Opposizioni agli Evangelj* „. Codex noster non-

nisi solum Matthaei librum ejusque examen complectitur usque ad cap. XIX. In mutilo alio exemplari, quod habui olim prae manibus, post IV Evangelia examinabantur etiam *Actus apostolorum* et *Epistolae divi Pauli*.

23 * Ejusd. *Risposte al libro del P. Pinamonti*, *intitolato la Sinagoga disingannata* italice MS.

Antichristianum aliud nostri rabbini scriptum, bibliographis omnibus et ipsum ignotissimum, quod bibliotheca nostra suppeditat, cujusque notitiam in polemico nostro opusculo *Della vana aspettazione degli ebrei* olim exhibuimus. V. p. 44, 57 et 101, nec non ejus apologiam *Esame delle riflessioni teol.-crit.* p. 64. Ad calcem dicitur absolutum die XII junii an. 1702, a mundi creatione 5462 mense sivan. Auctor autem, qui sub initium hujus seculi Mantuanam synagogam regebat, maximique a suis habebatur, die III mensis av an. 482 seu 1722 diem obiit supremum, ut constat ex R. Simsonis Coen Modon *Kinà*, seu *Lugubri carmine* in ejus funere eodem anno Venetiis edito.

24 * Ejusd. *Breve ragionamento sopra i miracoli* italice MS.

Dissertatiuncula paucarum paginarum in 8., quam ex judaei apographo manu nostra descripsimus, a nemine memorata, quae aperte in fronte et ad calc. dicitur *di R. Lion*

Brielli. Patet hinc ita per *Briel* efferendum nostri auctoris cognomen, non *Beriel*, ut habet Wolfius c. l.. Ea summam quamdam, ut notat auctor, sistit eorum quae saepe ipsi accidit doctis hominibus (christianis) respondere qui conabantur religionis veritatem ex miraculis demonstrare.

25 * Bonfir R. Salomonis כתב *Chedàv*, *Epistola ad magistrum Estrok* 8. sine an. et loco, sed CPoli sec. XVI.

Una cum Peripothi *Epistola*, quam male Sabionetae excusam putat Wolfius T. III p. 950. V. *Annal.* nostros *heb.-typ. Sabion.* p. 18 et quae infra dicemus ad eam Epistolam. Illud etiam mirum Wolfium in rarissimae ejus editionis quae apud nos extat, descriptione *Epistolae* magistri Estrock mentionem facere, nostrae vero multo fusioris quae subjicitur, nullam. Extat etiam haec *Epistola* in ms. codice Warneriano bibl. Lugduno-batavae. V. ejusd. *Catal.* n. 62 p. 289. Sed mendose per ד expresso cognomine *Bonfed*, quem errorem sequitur Wolfius T. I p. 1043 et II p. 1313.

C

26 *Carascon* liber hisp. pro religione judaica adversus catholicos 12. Nodriza 1633.

Auctoris anonymi. Wolfius T. IV p. 487, qui testatur se eum vidisse Amstelodami apud

Fundam bibliopolam judaicum hispanicum, ejusque plagulas produci usque ad literam s.

27 Chaiìm (R.) ben Masusà Coèn מגן ורמח *Maghèn veròmach*, *Clypeus et hasta* MS.

Scabtaeus in *Scifiè jescęnìm* p. 39, *Seder adoròth* fol. 170 b, Buxtorfius *Bibl. rabb.* ex Legero pag. 114 ed. Herborn. 1708, Hottingerus *Bibl. or.* pag. 22, Bartoloccius T. IV p. 38 et 359, et Wolfius T. I pag. 616. Notant omnes esse disputationem contra christianos, sed in cognomine paullisper dissentiunt Legerus et Hottingerus, quorum alter habet ben Mousa, alter ben Moasa. Bartolocc. ben Mosa. Mendose nonnulli Kain.

28 R. Chasdai Kreskas מאמר *Maamar*, *Tractatus de articulis religionis* hisp. MS.

Laudat R. Joseph ben Scem Tov in praef. ad *Comm. in Peripothi epistolam*. Postquam enim statuit הדרך הה׳ דרך מי שחשב להיות שואל ובקשה על כל אחד מעקרי האמונה הנקראים ארטיקו״לוס וראה, להניח הקדמו׳ בתחלה אשר יודו בהם שתי הכתו׳ ובהם המאמרים הנצוחיים אשר בם יוליד תולדותיו מהיבות או שוללות quin-« tum disputationis modum ab eo teneri qui introducit interrogantem et objicientem super unoquoque ex religionis fundamentis quae *articuli* vocantur, ac praeliminaria primum constituit, in quibus binae sectae consentiunt, simulque probabilia effata, ex quibus consequentias eliciat affirmativas vel negativas »,

subdit ועל דרך זו דרך החכם רבינו חסדאי קרשקאש ז"ל במאמר אשר חבר בלשון ארצו והוא מאמר יקר מאד » modum hunc sequi sapientem R. Chasdai Kreskas fel. m. in *Tractatu* aestimatissimo, quem patria lingua composuit », hoc est, ut opinor, hispanica, quum esset Caesaraugustanus. Patet ex his eum diversum esse ab edito nostri auctoris אור ה' *Or adonai*, ac propterea ignotum. Heb. hujus libri versionem aliumque nostri auctoris tractatum vide sub R. Joseph ben Scem Tov.

29 * ס' כבוד אלהים *Liber Chevòd elohìm* seu *Gloria Dei* MS.

De libro hoc antichristiano, quem sistit codex noster 75, silent bibliographi omnes, judaei ac christiani. Constat is octodecim capitibus. » Cap. I ostendit quod nos ob iniquitates nostras legisque cessationem exulamus a terra nostra, non ob necem Jesu, II quod Messias venturus sit, nec ut dicunt, advenerit, III refutatur quod asserunt, venisse Jesum ad delendam iniquitatem et salvandas animas, IV item ad implendam legem, ac novam dandam, V diluitur Mariae virginitas, VI divinitas Jesu, VII Dei trinitas, VIII eucharistiae sacramentum, IX baptismus, X circumcisionis abolitio, XI originale peccatum, XII nova Jesu lex, XIII de Romano pontifice, XIV disputat contra Evangelia, XV solvuntur difficultates an Deus

omnia possit, XVI de hominis retributione et poena, XVII christianorum argumenta ex versibus Pentateuchi et ad ea responsio, XVIII eadem ex Isaia propheta cum eorumdem solutione. Anonymus auctor non ex Mosis modo ac prophetarum testimoniis, sed et saepissime ex Evangeliis nostris, novique foederis scriptoribus et contra eos argumentatur. Fert autem codicis titulus eum Venetiis conscriptum fuisse an. 450, seu 1690.

30 * Coèn R. Mosis עזר האמונה *Ezer ahemunà*, *Munimen fidei* MS.

Memorant quidem hunc librum bibliographi non pauci, judaei ac christiani, sed plerique ex solo nomine vel titulo, ut non videantur eum vidisse. Scabtaeus ipse, Zacuto ac Jachiade paulo plenior, ad praef. *Comment. in Peripothi epistolam* provocat pag. 57, notatque continere באמונת פלפולים מתנ"ך הנוצרים *disputationes contra religionem christianorum ex sacris Bibliis*. Scabtaeum sequitur *Seder adoròth* fol. 174, et Wolfius T. I p. 831. In nostra hac bibliotheca tria servantur mss. exempla. V. ejusd. *Catal.* ad cod. 28, 74 et 121. Occasionem operi dedit disputatio, quam in Abulensi urbe habuit auctor cum judaeo converso, cujusque acta, ut ipse in praef. narrat, ac responsa a se data illius synagogae ac Toletanae primores expetierunt. Loca quae hic exami-

nantur, sunt CXXV, ex sacris libris, ut recte observat Scabtaeus, objecta et desumpta, non ex Talmude, ut parum accurate habet Rodriguez de Castro in *Bibl. rabb.* p. 627. Ex ea autem praefatione constat anno 135, seu 1375 nostro illud fuisse compositum.

31 Conigliano Abr. Joelis Veronensis *Objetti*, seu *Objectiones adv. christ. religionem*. Extant in Benetelli *Dardi rabbinici infranti* 4. Ven. 1705, qui in praefatione se ea ex patre Bonaventura Spina, hunc autem ex judaei ipsius ore ait accepisse, simulque cum iis que Sanson Marpurgus objecerat, in eo opere confutat. Utraque autem objecta adversus antijudaicum ejusdem Benetelli opus potissimum directa sunt, quod inscripserat *Saette di Gionata*. V. Mazzuchelli *Scrittori d'Italia* T. II P. II p. 833.

32 *Colloquium Mittelburgense* latine MS. Lusitani judaei, quod passim in *Atheismo devicto* confutat Mullerus, et de quo Wolfius T. I p. 742. Alterutrius auctoris, R. Jacobi Jeh. Ariè vel R. Menassè ben Israel, illud esse conjicitur. Conferantur quae ad utrumque observamus.

33 כויה תחת תשובת על המינים *Chevià*, seu *Adustio loco responsionis contra haereticos* vel *christianos* MS. Munsterus praef. ad *Evang. Matthaei* et ex eo Wolfius T. II p. 1051.

34 Dato R. Mardochaei מגדל דוד *Migdàl Davìd*, *Turris David* MS.

Agit de Messia ac futuro ejus adventu, et judaeorum liberatione, quam ostendit anno 335 seu 1575 esse expectandam. V. R. Azar. de Rubeis *Meòr enàim* fol. 139, Jachiadem in *Scalscèled* fol. 47, Scabtaeum p. 38, ex nostris Buxtorfium, Hottingerum, Bartoloccium ac Wolfium, de ea autem epocha opusc. nostrum *De vana judaeorum expectatione* pag. 135.

35 * Ejusd. שמן המשחה *Scèmen ammischà*, *Oleum unctionis* MS.

Seu ineditus, ignotus et autographus ejus *Commentarius in Aphtaròth* vel *prophetícas sectiones totius anni*, qui extat in nostra biblioth. in cod. 29, de quo plura in edendo *Catalogo*. Non multa modo in eo habentur de Messia ejusque adventu, signis, ac gestis, sed et totus est Mardochaeus, ut prophetias de futura suae gentis liberatione explicet et illustret. Illius compositionem absolvit an. 349, seu 1589, nosque ejus notitiam olim dedimus in lib. *Della vana aspettaz.* pag. 22, et in *Var. Lect. V. T.* T. 1 pag. XCIX.

36 David Nasì הודאת בעל דין *Odèad bàhal din*, *Confessio adversarii* MS.

Apud judaeos Amstelodamenses ex ms. nota ad me transmissa, quae tradit » continere testimonia XII apostolorum Jesu, quorum os testatur contra eos in evangelio, in apostolo (Paulo), et expositoribus ejus, ad confirmanda XIII fundamenta legis mosaicae, et evertenda IX fundamenta religionis eorum ». De auctore et opere, quod dicitur Cretae compositum, silet Wolfius.

37 *Dialogus judaei cum christiano* ab Alphonso editus MS.

Extat in bibl. Bernensi. V. *Catal.* p. 127.

38 Διάλεξις sive *Disputatio inter judaeum et christianum*, graece MS.

Habet bibliotheca Caesarea Vindobonensis et incipit Ερώτησεν ὁ ἰουδαὶος τὸν χριστιανὸν. V. Lambecii *Comm.* illius bibl. T. VIII p. 43. Eadem videtur cum *Disputatione inter judaeum et christianum de Messia* quae graece extat in Vaticana n. 687 in 4. pag. 200. V. Bartolocc. T. II pag. 806.

39 *Disputatio judaei cum christiano* lat. MS.

A Gisleberto edita qui et epistolam addidit ad archiepiscopum Cantiburgensem. Extat et quidem ter in bibl. Bernensi. V. ej. *Catal. mss. codicum* a Sinner vulgat. p. 82. *Disputatio illa* MS. *a judaeo quodam adversus christianos habita Barcinone* coram rege quam servat bibl. publ. Parisiensis in cod. 243, Nachmanidis proculdubio est. Antichristianam

suspicor *Disputationem* alteram *de Christi divinitate et incarnatione* anonymi judaei cod. 249. V. ej. *Catal. mss.* T. I pag. 24.

40 *Disputatio contra Anastasium* sive *inter judaeum et Anastasium christianum de adventu Messiae* a Paschali de Roma latine translata MS.

Transtulit ad honorem ven. patriarchae Grandensis an. 1158. Dialogi forma utitur et extat in Vaticana inter mss. lat. num. 4265 pag. 197 in 4., teste Bartoloccio T. II pag. 806. Fuit etiam in Uffenbachiana. Conf. *Bibl. Uffenbach. compendiaria* MS. p. 563 num. VI II ap. Wolf. T. IV p. 483. Disputationes reliquas vide sub *Vicùach*.

41 *Dos dialogos compuestos en marouecos* hispan. MS.

Partim confirmare conatur auctor religionem judaicam, partim oppugnare christianam, Wolfio teste qui ms. hoc possidebat, T. IV p. 487, et 726, ubi uberius illud delineat. Folia summa titulum praeseferebant *Fortificacion de la Fèe*.

E

42 Eliae de Nistratos ויכוח *Vicùach*, *Disputatio cum Francisco de Aquapendente* MS.

Ex ms. nota judaei Amstelodamensis.

43 אמת תורת משה *Emèd toràd Moscè*, *Veritas legis mosaicae* per dialogos hisp. MS.

In *Bibl. Sarrasiana* pag. 10. Wolf. T. II p. 1263, qui idem forte esse conjicit cum alio ej. tituli opere R. Saulis Morterae, quod in eadem bibl. recensetur p. 8 n. 86. Ita *Saulis* corrig. in Wolfio pro *Sam.*

44 Engelsberger Ferd. Franc. תולדות ישו *Toledòth Jescù*, *Generationes Jesu* MS.

Ex judaeus relapsus, qui inter suos vocabatur R. Chaiìm. Librum in servatorem nostrum blasphemum Viennae an. 1640 prodiisse scribit Bartoloccius, sed parum probabiliter, ut recte observat Wolfius T. I p. 982. Eum eundem esse cum anonymo altero sat celebri ejusdem furfuris libello a se antea confutato perperam putat Basnagius *Hist. des juifs* T. IX p. 968.

F

45 R. Feithel et R. Senderlein *Discurs wie die christen zu verderben.*

Sine pleniore titulo, tamquam editum, commemorat *Catal. bibl. Vockerodtianae* parte I pag. 247 num. 35 et ex eo Wolfius T. IV pag. 489.

46 Frissol R. Abraham מגן אברהם *Maghèn avraàm*, *Clypeus Abrahae* MS.

Ita Frissol, non Peritzol, ut communiter dicitur, auctorem appellandum ex autographis ejus notis demonstramus ad cod. nostrum 48 et 145. Nec aliter eum appellat

R. Menassè ben Israel in libello suo *Esperanza de Israel* p. 45, 46 et 56. Liber, ut notat Scabtaeus, in duas partes dividitur, quarum altera disputationem sistit inter judaeos et christianos, altera agit de judaeis ultra fluvios Aethiopiae et flumen Sabbation degentibus. Extat teste Scabtaeo apud judaeos Amstelodamenses, et in Bodlejana n. 3717. Vidimus et nos apud judaeos Mutinenses ac Florentinos. De eo Wolfius T. I pag. 90 et IV pag. 767, ubi ex Gagnerio Bodlejanum exemplar describit.

47 * Ejusd. אגרת ארחות עולם *Ighèred orcòth olàm*, *Epistola itinerum mundi*, 8. Ven. 347, Chr. 1587.

Huc referri etiam potest alterum hoc Frisolii nostri opusculum, quod christianis potissimum opposuit contendentibus et improperantibus judaeis, eos non habere amplius regem ullamque futurae redemptionis spem. Id ut refutet, in medium profert vastissima sed ficta suorum regna. V. Bartol. T. I p. 121. Heb. et lat. edidit Hyde 4. Oxon. 1691 et in ej. *Miscell.* an. 1767, recudit-que Ugolinus in *Thesauro antiq. sacr.* T. VII p. 2. Ferrariensis editio an. 1525 fictitia est. V. *De typogr. heb. Ferr.* pag. 103, et *Annales heb. typ. a MDI ad MDXL* p. 60. Extant in manibus nostris primae duae editiones, ambae rarissimae et MS. in cod. 300.

48 * פואינטי קלארה *Fuente clara*, *Fons clarus*, hispanice, sed char. rabb. 4. sine a. et l.

Anonymi judaei hispani qui floruisse videtur suumque librum composuisse sec. XVI. Hoc eodem seculo exeunte vel ineunte XVII is editus. Integer titulus: פואינטי קלארה אין אישטי ליברו שי קונטיני שודו׳ לוש פסוקים די נואש׳ ליי שאנטה אי די לוש פרופיטש אין לוש קואליש לוש נומבראדוש טיאולוגוש אי קירשטיאנו׳ טראין פאר׳ אין פורטאלישירין שו פי אי שי דיקלארה פורקי מודו שי שונבאירון מאל אינטינדיינדו אי קונרונפיינדו לוש פסוקי׳ אין לוש קואליש שי אפיגאן כי ישרים דרכי ה׳ וצדיקים ילכו בם ופשעים יכשלו בם אין לאש קואליש דרכי ה׳ אישטוש ריביליאדוריש אינטרופישאן אי פאזין אינטרופישר אפיגוש די ישראל קומו מוי קלארו שי אינטינדירה » Fuente clara. En este libro se contiene todos los pesuchìm (versus) de nuestra ley santa, y de los profetas, en los quales los nombrados teologos y christianos traen para enfortalezeren su fe, y se declara por que modo se sonbajeron, mal entendiendo y corrompiendo los pesukìm, en los quales se apegan, chì jescarìm darchè adonai vetzadikìm jelecù bam ufoscehìm iccascelù bam (quoniam rectae sunt viae Domini, et justi incedunt in iis, praevaricatores autem impingunt vel errant in iis), en los quales caminos del señor estos rebeladores entropiezan y facen entropezar a fijos de Israel, como muy claro se

entienderà ». Vel ex titulo ipso patet quam acriter auctor contra nos disputet, quibusque conviciis theologos nostros proscindat. Constat opus capitibus XXX foliisque 106, tantaeque raritatis est, ut bibliographi plerique ac fere omnes de eo sileant, et unicum hucusque notum esset Colbertinum exemplar, quod memorat illius bibliothecae *Catalogus* parte II n. 5029, et ex eo Wolfius T. IV pag. 487, quin tamen definiat, num ms. sit, vel impressum, cui nostrum hoc integerrimum modo accessit.

G

49 Gabriel fil. Aaron *Glossae in* R. Isaaci חזוק אמונה *Chizùk emunà* hispanice MS.

Habebat Mullerus. V. ej. *Judaismum detectum* in indice scriptorum, Wagenseil praef. ad eum librum in *Telis igneis*, Bartol. T. III p. 946, et Wolf. T. I p. 276 et 942.

50 Galipapa R. Chaiìm עמק רפאים *Hèmek rephaìm*, *Vallis gigantum* MS.

De Messiae adventu et futura judaeorum redemptione. R. Scabtai p. 59, Buxtorf. p. 161, Hotting. *Bibl. or.* p. 18, Wolf. T. I p. 372, et III p. 254, ubi notat extare in bibl. Oppenheimeri. In *Catal.* non extat.

51 * Gersonidis R. Levì פי׳ דניאל *Comm. in Danielem* 4. sine an. et loco et in Bibliis rabb. Venetis 1517.

In binis istis editionibus, ut et in mss. codicibus, antichristiana non pauca habentur. De priori illa V. *Ann. sec. XV* p. 124, de posteriori *Ann. MDI ad MDXL* p. 15. Ms. extat in Vaticana et Sorbona, et quinquies in nostra. V. cod. 273, 402, 461, 498 et 1045.

I

52 R. Jacob ben Amràm שער אמת *Scàhar emèd*, *Porta veritatis*, latine MS.

Liber antichristianus anno 1634 conscriptus, quem ex Cudworthi bibliotheca accepit, ejusque contra N. T. exceptiones confutavit Kidderus in *Demonstr. Messiae* parte III cap. III, testans in praef. christianam religionem in eo tam acerbe impugnari, ut simile illi exemplum non extet, nec in posterum sit expectandum. Eum profert etiam Allixius in praef. ad *Epistolas de duplici adventu Messiae*. V. Wolfium T. I p. 581 et III pag. 442. Codex ipse, quem Kidderus possidebat, extat nunc in bibl. collegii Baliolensis, cui ille donaverat, ut monet Kennicottus *The state of the heb. text.* Diss. II p. 595, lat. vero versionis p. 574. » Totum opus in tres partes divisum est, quarum I agit de simplicissima et omnino immultiplicabili unitate Dei veri, II de perpetua duratione legis Mosaicae et aeterna ele-

ctione populi Israel, III de unico eoque futuro adventu Messiae puri hominis de virili semine David ». Haec Brunsius in *Annal. Helmst.* 1784 p. 293, qui ms. ipsum evolvit, exscribitque ibidem quae §. 505 auctor explicationi christianorum LXX hebdomadum Danielis objicit.

53 R. Jacob fil. Ruben מלחמות יהוה *Milchamòth adonài*, *Bella Domini*, MS.

Est disputatio de fide christianorum per dialogum instituta inter duos, quorum alter dicitur מיחד *mejachèd* seu *unitarius*, alter מכחד *mechachèd* seu *negans*, et in XII sectiones divisa, ut notat R. Scabtai in *Sciftè jescenìm* p. 43 n. 181, et ex eo *Seder adoròth* fol. 171 b, ac Wolfius T. I p. 614. Bartolocgius tribuit karaeo hujus nominis scriptori. Wolfius diversum putat tum cit. l., tum in notis ad Mardochaei *Notitiam karaeorum* pag. 140, sed ratio quam subdit, *non aliud extare karaitici adversus christianos libri exemplum*, nulla. V. infra R. Isaaci *Chizùch emunà*. Extat opus in bibl. Bodlej. n. 3718.

54 * R. Jechiel fil. Josephi ויכוח *Vicùach*, *Disputatio cum Nicolao*, a Wagenseilio edita in *Telis igneis* heb.-lat.

Ex cod. Argentoratensi, sed a fine mutila. Paullo plenior ac diversa extabat in bibl. Uffenbachiana. V. ej. T. III p. 23 et Maii *Catal.* P. I. pag. 386. Quod exemplar

in manus suas devenisse testatur Wolfius T. IV p. 718. Respicit potissimum Jesum Talmudicum, quem Nicolaus ille exjudaeus objicit, negat Jechiel nostrum esse. V. Wolf. T. I p. 573 et III p. 431.

55 R. Jehudae filii Betzalel נצוח ישראל *Nètzach Israèl*, *Victoria Israelis*, fol. Pragae an. 359, Chr. 1599.

Libri institutum auctor ipse aperit in fronte. » Ostendit, quod non repellet Deus populum, quem placuit ei sibi creare, nec deseret haereditatem quam elegit, ולא ישקר נצוח ישראל nec mendacem vel irritam reddet *Victoriam Israel*, mittetque nobis redemptorem et aedificabit cito in diebus nostris arielem ». Agit ergo de futura judaeorum per Messiam redemptione summaque felicitate ab eo afferenda.

56 * R. Jehudae Levitae ס׳ כוזרי *Liber Cozrì* vel *Cuzarì* 4. Fani 266, Chr. 1506 et Ven. 307, Chr. 1547.

Item cum Com. Jeh. Muscati Ven. 354, seu 1594, et cum lat. Buxtorfii vers. Basil. 1660. De religionis veritate celebris hic sititur inter judaeum, gentilem philosophum, turcam et christianum disputatio, arabice primum ab eo auctore conscripta et a Jehuda Tibbonide hebraice translata, in qua argumenta se exhibere et responsiones contra dissentientes ab hebraeis ex philosophis ac variarum religionum hominibus et contra

haereticos testatur auctor ipse sub initium praefationis. Porro sub nomine אנשי התורת *variarum religionum hominum* christianos ac turcas designari ipsa operis ratio evincit, monetque aperte ad marg. cod. meus ms. hujus libri 1105 הם אדום וישמעאל *Hi sunt edomaei* seu christiani *et ismaelitae*. Hoc idem docet argumentum 1 tractatus eidem codici praefixum. » Tract. 1 agit de religione philosophorum ... et de erroribus הנוצרים *christianorum* et ismaelitarum ». Contra verba illa חוץ מהנוצרים *christianis exceptis*, quae subdit editio Veneta secunda et Buxtorfiana, nullus codex agnoscit, nec habent Fanensis ac Veneta prima. Quae utraque rarissima editio in manibus nostris est. Conf. quae in hanc rem diximus in *Catal. mss. nostr. codicum* ad cod. 601. Ms. extat in Bodlejana, Colbertina, Taurinensi, Oppenheimeriana, et quinquies in nostra in codicibus 601, 625, 676, 1095, 1105.

57 * Idem *Liber Cosrì continens colloquium seu disputationem de religione* latine ex vers. et cum not. Jo. Buxtorfii fil. 4. Basil. 1660.

Cum heb. textu ex Veneta 11 hausto. Sed in notis etiam variae lect. Ven. 1 passim exhibentur.

58 * Idem *Cuzari traduzido del ebrayco en español y comentado por el Hacham R. Jaacob Abendana* 4. Amsterd. 5423, Chr. 1663.

Versionem hanc commendat summopere ac Buxtorfianae ipsi praefert Simonius *Nouv. bibliot. choisie* T. I p. 137. Est sane integrior, seu ex integriore textu desumpta. V. Wolf. T. I p. 578. Est et multo rarior.

59 * R. Josephi fil. Scem Tov פרוש *Perùsc*, *Commentarius in Peripothi epistolam* 8. sine anno et loco.

Una cum *Epistola* ipsa, de qua infra plura. Philosophice disputat contra trinitatem, incarnationem, Messiae divinitatem, ej. ortum ex virgine, eucharistiae sacramentum aliaque nostra dogmata, ac praeter varios philosophos et interpretes profert nonnullos libros antichristianos, in praefatione potissimum, ubi de diversis disputandi modis ac generibus agit. Ms. cum Peripothi textu legitur in cod. XIV plut. III bibl. Laurentianae, ut patet ex Biscionii *Catal.* T. I pag. 455, qui tamen perperam subdit nullam ejus apud bibliographos fieri mentionem. Facit enim ut alios praeteream, Wolfius ipse quo utitur, T. I p. 572 et 992, et III p. 950.

60 Ejusd. מאמר *Maamar*, seu *Tractatus de religionis articulis* R. Chasdai hebraice versus cum scholiis MS.

Ut hispanici hujus polemici operis R. Chasdai, sic et hebr. nostrae versionis nulla in bibliographis vestigia. Praecedit praefatio interpretis, in qua narrat se *Commenta-*

rium in egregiam ac celebrem Peripothi epistolam olim edidisse, in cujus exordio quum sex diversos modos commemoraverit a doctoribus suis in christianorum confutatione servatos, et sub quinto quid fecerit R. Chasdai in libro patrio sermone ab eo conscripto, eumque sibi verti exoptarint discipuli sui, se eorum votis satisfecisse ac transtulisse. Sequitur praefatio alia auctoris, quae articulos recenset, in quibus natio utraque dissentit, judaica ac christiana, deinde vero liber ipse qui decem constat capitibus. Cap. I agit de poena primi hominis, II de redemptione culpae originalis, III de trinitate, IV de incarnatione, V de Mariae virginitate, VI de eucharistia, VII de baptismo, VIII de Messiae adventu, IX de nova lege, X de daemonibus. Supplens interpres cap. III quod nimis contracte ex Abu Achmet *Apalad filosofim*, seu *Destructione* vel *Confutatione philosophorum* et ex Gersonidis *Milchamòth adonai* christianis objicit auctor, nomen suum pandit ter repetitum אמר יוסף *Dicit Joseph*, quod de nostro ben Scem Tov esse intelligendum manifeste colligitur ex *Commentario in Peripothi epistolam*, quem sibi adscribit tum in praefatione, tum in epigraphe, qua versionem suam claudit, subdens se eam concinasse in urbe Alkalà de Henares seu Compluti anno sexti millenarii 211, aerae nostrae

1451. Illud autem animadversione dignum quod in hac eadem epigraphe testatur וכבר מצאתי לרב הזה, מאמר אחר השיב עלי׳ בראיות נבואיות » alium se hujus doctoris tractatum reperisse, quo eos seu christianos argumentis ex prophetiis deductis refutabat », qui et ipse est ignotissimus, nisi alterutrum eundem forte esse conjicias cum ויכוח הדרת *Disputatione* illa *de religione*, quam scriptores plerique incerto auctori, Abrabanel vero, ut supra observavimus, Abrahamo ben Chasdai attribuit. Subjiciuntur ad calcem in ms. codice תשובות seu *Responsiones* quaedam ad versus varios ex sacris scripturis desumptos, quae alterius auctoris esse videntur.

61 * R. Josephi ben Jachia פרוש על הכתובים *Comment. in agiographa*, fol. Bononiae 298, Chr. 1538.

Male a Bartoloccio ad Massam et an. 288 seu 1528 relatus. In Cant. Thren. Psal. et Dan. multa habet antichristiana in exempl. nostro deleta vel abrasa. Quae in Dan. occurrunt, castigavit Constantinus l'Empereur. V. ej. *Jachiadae Paraphrasis in Dan.* 4. Amstelod. 1633.

62 Joseph Nasì יוסף נן פרת *Ben porath Josèf*, *Filius fructificans Joseph*, 4. CPoli an. 337, Chr. 1577.

Sistit disputationem quam cum christiano quodam habuerat de religione, ab Isaaco

Onkenera qui interfuerat, descriptam, cujus praefatiuncula praecedit. Dialogo utitur. Auctor perpetuo appellatur השר הדוכוס *princeps, dux*, quod et nomen Nasì significat, christianus המקשה *objiciens*. Est 8 foliorum opusculum, quod dicitur in titulo CPoli excusum mense jiar an לקר"בה in domo Josephi fil. Isaaci Jahbetz. Vidi Mediolani in Ambrosiana, habetque Oppenheimeriana et Bodlejana, in cujus *Catal.* p. 365 male binae voces פלפלא חריפא *disputatione acuta* pro christiani nomine accipiuntur. Auctor exchristianus Lusitanus est, antea Jo. Mica appellatus, hinc *gher*, seu *proselytus* dicitur a R. Scabtai p. 13 et in *Seder adoròth* fol. 165, ubi pro נוצרי *cum christiano* mendose legitur מצרי *cum aegyptio*. Conf. Buxtorfius *Bibl. rabb.* p. 52 et Wolf. T. I p. 550 et III p. 415.

63 * R. Isaaci fil. Abrahami חזוק אמונה *Chizùk emunà, Munimen fidei*, 4. Altorfi 1681 in *Telis igneis satanae*, et 12. Amstelod. an. 465, Chr. 1705.

Trocensis Lithuanus, et quidem secta karaeus, non rabbanita, ut communiter habebatur, est auctor. V. R. Mardochaei *Dod Mordachai* seu *Notitiam karaeorum* p. 149, et Wolfii *Accessiones* 1721 p. 41, Ungeri *epistolam* ib. editam p. 42 eundemque Wolf. *Bibl. heb.* T. III p. 545, qui et T. I p. 641 fuse de hoc opere loquitur. Opus ipsum,

quo nullum extat in hoc genere gravius, nullum pestilentius, in duas partes dividitur, quarum primam, quae capitibus constat 50, in confirmanda judaeorum religione et doctrina, alteram quae 100, in christiana destruenda occupari male illius editor Josephus filius Mardochaei et Wolfius conscribunt. Utraque enim pars contra nos agit, ut ex indice et ex primo ipso capite I partis eruitur, in quo demonstrare conatur auctor, Jesum Nazarenum non esse verum Messiam, nec de eo propheras fuisse vaticinatos, et ex nono ac sequentibus, in quibus contra trinitatem, Messiae divinitatem, adventum, originale peccatum, Mariae virginitatem, Mosaicae legis abrogationem etc. pluribus disputat, ac singula quibus innitimur, scripturarum loca diligenter examinat. Cap. vero XLIV ac seqq. varia item adversus nos urget argumenta et objectiones. Pars II tota in refutandis evangeliis ac N. T. libris impenditur. Ut singuli libri ac singula eorum capita in hac excutiuntur, ita retinetur eorum ordo. Integrum opus anno 353 seu 1593 ab auctore compositum et absolutum est, qui anno proxime sequenti 1594 decessit, illud discipulo suo Josepho fil. Mardochaei commendans, qui et capitum summam, quam ille imperfectam reliquerat, supplevit. Qui primus edidit, Wagenseilius,

illud ex judaeo Africano ms. dono accepe-rat, et ms. extat etiam in variis bibliothecis, ut in Bodlejana n. 3719, in Leidensi inter codices Warnerianos, et bis in Oppenheimeriana, etsi editus ejus *Catalogus* f. 6 b unum tantum et quidem mendose ad an. 300, vel 1540 referat, quod ad 378 seu 1618 erat amandandum. V. Wolf. T. II p. 546. Supplementum hujus libri variasque ejus lectiones ex Ungeriano codice edidit Wolfius sub fin. vol. III et vol. IV p. 648, ex quibus loca non pauca utriusque editionis possunt restitui. Variae extant ejus versiones, quas infra recensebimus, ac variae etiam confutationes. Tria primum capita I partis, videlicet XII, XIV, XXI, in *Ternione controversiarum adversus judaeos* in 8. Dordraci excuso an. 1688 retudit Gussetius, deinde vero et integrum librum in *Jesu Christi evangeliique veritas demonstrata in confutatione libri Chisouck emunà* in fol. Amstel. 1712. Centum ea loca N. T. in II parte inique detorta vindicavit Gebhardius in 4. Gryphiswald. 1699, locaque alia ac capita nequissimi hujus auctoris et libri, Mullerus, Storrius, Kidderus aliique non pauci in polemicis eorum operibus sub examen vocarunt, quibus ex Koëcheri *Nova bibl. heb.* T. I p. 79 addendus est Langius in *Gloria Christi et christianismi* parte II p. 423 et

606. Alii confutationem vel promiserunt, vel pararunt, sed non ediderunt. Inter hos eminet, quod mirum, princeps doctrina ac pietate spectatissimus, Aurelianensis dux Ludovicus, qui teste l'Advocato *Dict. hist.* T. II p. 392 ineditas reliquit » plusieurs *Dissertations* contre les juifs, pour servir de réfutation au fameux livre hébreu intit. *Kisouch emouna*, c'est-à-dire, *Bouclier de la foi*. M.r le duc d'Orléans, n'étant point satisfait de la réfutation de ce livre par Gousset, entreprit lui-même de le réfuter; mais il n'a pas eu le tems d'achever cette réfutation, qui est beaucoup meilleure que celle de Gousset, et repond mieux aux difficultés des juifs qu'il a examinées ». Huc etiam trahendi sunt qui in vindicanda ab hodiernis incredulis christiana religione operam suam navarunt, qui ex confessione ipsius incredulorum principis et antesignani Voltetii *Mêlanges philos. littér.* T. III p. 344 difficultates suas omnes et objectiones ex hoc nefando opere hauserunt. » Il a rassemblé toutes les difficultés que les incrédules ont prodiguées depuis .... Enfin les incrédules les plus detérminés n'ont presque rien allegué qui ne soit dans ce *Rempart de la foi* du rabin Isaac ».

64 * Idem *Munimen fidei* ex *Versione lat.* Wagenseilii in *Telis igneis* 4. Altorfi 1681.

Versionem hanc multis in locis emendatam in confutatione sua recudit Gussetius, eamque in epitomen redegit, suoque operi *Gloriae Christi et christianismi* cum breviore refutatione Langius inseruit.

65 * Idem ex *Versione judaeo-germanica* 8. Amstel. an. 477, Chr. 1717.

Foliis constat 134, eaque Wagenseiliano heb. textui respondet, omissa tamen totius operis clausula. Valde rara illa est, nec ullus in titulo memoratur interpres. Idem liber ex *Versione germanica pura* Michaelis Gellingii ms. extabat apud Wolfium, qui ejus specimen suppeditat T. IV pag. 639. Exjudaeus ille eam absolvit anno 1631. Discrepat saepe a Wagenseil. textu, et cum Ungeriano ms. potius conspirat.

66 Isaaci Jacobi fil. Saulis בוך דר פרצייכנונג *Buch der Verzeichnung, das da hat in der druk gebracht hat darauf gelegt all sein macht* 16. Amstel. 456, Chr. 1696.

» Institutum auctoris est, inquit Wolfius T. III pag. 577, instruere suos, quomodo contra christianos religionem suam tueri possint. Hoc fine primum quidem vaticinia V. T. varia colligit, vanae expectationi futurae liberationis, inspersis glossis judaicis, accommodata, deinde vero ex evangelistis loca nonnulla affert, quae ad confutandam religionem christianam fortiter adhiberi posse

frustra et sibi et aliis persuadet ». Binae aliae extant edit. Amstel. 1693 et 1714, in quarum 1 auctor dicitur Israel Gher, seu Proselytus. Isaacum alium judaeum inter antichristianos scriptores profert Wolfius T. II p. 1052, qui ms. opus adversus nos conscripserit a se T. I num. 1198 relatum. Sed titulus ipse *Notabilia quaedam de passione Christi extracta de Biblia judaeorum quae non sunt in nostra*, sat ostendit esse exjudaei, nec ms., sed editum est Bononiae apud Alex. Benaccium, teste Bartoloccio ipso, unde haec exscripsit Wolfius.

67 Israel Gher בוך דר פרצייכנונג *Buch der Verzeichnung* judaeo-germ. 12. Amst. 1693.

V. supra Isaac Jacob fil. Saulis. In edit. hac auctor appellatur Israel Gher, seu Proselytus, idest ex christiano judaeus, hinc libellum ab hoc profectum, a priori autem illo recusum conjicit Wolfius T. III p. 578. Conf. *Unschuldigen nachrichten* 1723 p. 541.

K

68 * Kimchì R. David פרוש על נביאים אחרונים *Comm. in prophetas posteriores*, Isaiam, Jerem., Ezech. ac XII minores, in fol. sine an. et loco, sed Soncini an. 1486, et Pisauri 1515.

Ex Kimchii nostri scriptis a judaeis ac christianis celebratissimis ad *Bibliothecam* no-

stram *antichristianam* pertinent potissimum ejus *Commentarii in prophetas posteriores*. Multa enim habet in iis adversus nos disputata, sed in recentioribus editionibus caute omissa. Adeundi ergo, ut ea hauriantur, codices mss. et editiones antiquae. Mss. codices varii in variis bibliothecis extant. In nostra quae est nostri auctoris codicibus omnium ditissima ac quinquaginta quinque possidet, duodecim occurrunt, unusque inter eos, videlicet 402, qui excerpta suppeditat Comm. Isaiae Amos et Micheae in locis cum christianis controversis. Inter editiones eminent binae illae superius commemoratae, Soncinensis ac Pisaurensis, quam ad eum annum 1515, non ad 1516, ut a plerisque fiebat, esse amandandam observavimus in *Annal. heb.-typ. a MDI ad MDXL* p. 10. Ex posteriori hac antichristiana quaedam loca restituit Pocockius. V. ej. notas ad *Portam Mosis* seorsim recusas pag. 309. Sed prior illa multo plenior et integrior. V. *Annales* nostros *sec. XV* p. 132 et exempla in iis allata. Porro praeter has antiquior alia extat editio, olim ignotissima et a nobis detecta, sed solius *Comm. in Isaiam ac Jer.* sine an. et loco, quae ea loca servat intacta, et quidem quoad verba nonnulla pleniora, quam Soncinensis ipsa exhibeat. V. eosdem *Annal. sec. XV* p. 110. In Ulyssi-

ponensi 1492 ea vel mutilata vel praetermissa, ut monemus ib. pag. 96. In Veneta 1517 ea fuisse prorsus eliminata perperam censent le Longius, Wolfius ac Maschius. Non pauca enim supersunt, ut ad eam editionem notavimus. Sed desunt in reliquis, ut et in versionibus latinis, unica excepta Malanimei in Isaiam, quae Florentiae prodiit anno 1774, in qua loca quaedam ex Soncinensi, ut videtur, textu retenta sunt. Quae ad Isaiae LIII habet, germanice vertit ac refutavit Antonius Margarita in illius capitis *Declaratione* pag. 79.

69 * Ejusd. פרוש תהלים *Perùsc teilìm*, *Comm. in Psal.* 4. an. 237, Ch. 1477 sine loco, et in fol. Neap. 287, Chr. 1487.

Pertinet et *Comm. in Psalmos*, ubi alia multa antichristiana auctor congessit, *magnus christianorum adversarius* a Grotio propterea appellatus. At vero ea iterum quaerenda in mss. vel antiquissimis editionibus, in quibus integra servantur, non in recentioribus, in quibus sunt studiose resecata. Mss. nonnullos codices bibliothecae publicae suppeditant, privata nostra octodecim. Ex antiquis editionibus consulendae omnino binae illae primariae an 1477 et 1487, in quibus loca singula quae religionem nostram lacessunt, integra vel fere integra reperiuntur. De iis plura diximus in *Annal. heb.-typ. sec. XV*

p. 14, et 48, ubi et quae Kimchius fuse ad Psal. 11 adversus Christi divinitatem ac trinitatem disputat, speciminis gratia protulimus latine translata. Insigniora haec loca in reliquis omnibus frustra requires. In Veneta tamen 1517, Thessalonicensi 1522, et Isnensi 1542, quae omnes ad manus sunt, minora quaedam retinentur, ut et in latina Janverii versione ad Isnensem curata quae prodiit Parisiis anno 1666.

70 * Ejusd. תשובות לנוצרים *Tescuvòth lanotzerìm, Responsa ad christianos super quosdam Psalmos*, ad calc. Lipmanni *Nitzachòn* 4. Altorfi 1644 et 16. Amstel. 1709.

Exhibent simul collecta et seorsim edita quae Kimchius in Psalmis contra nos disputat. Collegit autem anonymus judaeus et Lipmaniano codici addidit, unde edidit Hackspanius. Recusae eae sunt Amstelodami ad calc. *Nitzachòn*, non *Chizùk emunà*, ut mendose habet Wolfius T. III p. 191, a Genebrardo vero confutatae 8. Paris. 1566. Extant etiam mss. in cod. nostro 1269.

71 * Ej. Kimchì R. Dav. ויכוח *Vicùach, Disputatio adv. christianos* 8. CPoli 1710.

In antichristiana collectione hoc anno edita sub titulo *Milchèmed chovà* a fol. 13 ad 19. De ea nihil Wolfius T. I ac III sub nostro auctore. Sed describit T. IV p. 722. Objectiones sunt a praecedentibus diversae,

nec a solis Psalmis, sed ex aliis libris, saepeque ex evangelistis nostris petitae. Fol. 14, non p. 18, ut habet Wolfius, tradit se cum christiano doctore de Messiae adventu disputasse et ex quinque rationibus adhuc futurum ostendisse, quod congregare debeat dispersos israelitas et decem tribus, templum instaurare et Jerusalem, perpetuam pacem restituere, dominari in universos reges terrae, et gladios omnes, seu omnia bella abolere. Nullo deinde ordine reliqua nostra praecipua dogmata breviter impetit.

72 Kimchì R. Joseph מלחמות ה׳ *Milchamòth adonai*, *Bella Domini*, MS.

Disputatio sat prolixa adversus christianos, quam laudat, sed multa quoque se in ea desiderare, eique jam occurrisse christianos notat R. Scem Tov in praef. ad ineditum *Even bòchen*. Ita autem *Milchamòth adonai* est ejus titulus, ut eum profert R. Scem Tov et R. Scabtai fol. 43, et *Seder adoròth* fol. 171 verso, non *Milchamòth ascèm*, *Bella Dei*, ut Bartoloccius T. III pag. 827 et Wolfius T. I p. 562. Subdit Scabtaeus appellari etiam מלחמת מצוה *Bellum praecepti*, non *super praeceptis*, ut male vertit Wolfius, subque hoc titulo ex Legeri additamentis refert Buxtorfius p. 123. *Seder adoròth* plene ac pluraliter habet מלחמות *Bella praecepti*. Testatur Wolfius T. III p. 423 ms. ser-

vari in bibliotheca Oppenheimeri. In edito tamen ejus *Catalogo* frustra quaesivi.

73 Ejusd. ס׳ האמונה *Sèfer ahemunà*, *Liber fidei* vel *de fide*, MS.

Scabtaeus p. 7, *Seder adoròth* fol. 164, *Scalcèled akkabalà* fol. 54, Buxtorfius *Bibl. rabb.* p. 38, Bartol. T. III p. 827, Basnage *Hist. des juifs* T. IX pag. 282, Wolfius T. I p. 562 et II p. 1052, qui et contra christianos eum conscriptum esse testantur. Forte idem est, mutato nomine vel titulo, cum sequenti, vel si mavis, cum praecedenti, ad quem Scabtaeus et *Seder adoròth* lectorem revocant.

74 * Ejusd. ס׳ הברית *Sèfer abberìth*, *Liber foederis*, 8. CPoli an. 1710.

Una cum aliis opusculis in *Milchèmed chovà*, ubi legitur a fol. 18 verso ad 38. Eum suscepit auctor, ut testatur ipsemet sub initium, ut praefractis suae nationis viris, seu exjudaeis conversis se opponeret Dei verba detorquentibus ad fidem Jesu Nazareni, discipulique votis satisfaceret, qui ab eo petebat, ut prophetias omnes adversus haereticos et epicuraeos, seu christianos pugnantes in unum conferret, ejusque fidem facit amplissimam David Kimchius nostri filius ad Isai. VII 14 et LIII 1, et in *Libro radicum* ad rad. עלם, notans patrem suum demonstrare in hoc libro adversus christianos vo-

tabulum עלמה corruptam quoque significare, eorumque rationes oppugnare. Quod Davidis testimonium in recentioribus ejus libri editionibus omissum, integrum habent mss. codices mei non pauci, et vetustissima editio sine anno et loco omnium princeps, et CPolitana an. 1513, ac fere integrum binae Neapolitanae anni 1490 et 1491. In hoc porro libro *Berith* disputationem auctor instituit inter מין *min*, *haereticum*, et מאמין *maamin*, *credentem*, sub priori eo nomine christianum intelligens, sub posteriori judaeum. Plura de eo Wolfius T. IV p. 723.

75 Ejusd. ס׳ הגלוי *Sèfer aggalùi*, *Liber revelatus*, MS.

Producitur a filio Davide tum in *Comm.* ad Isai. LIII 1, tum in *Libro radicum* ad rad. נוס. R. Scabtai pag. 16 n. 23, quique eum presso pede sequitur R. Jechiel in *Seder adoròth* fol. 165 verso, notant agere מהאמונה *de religione*. Buxtorfius ex Legeri additamento scribit in *Bibl. rabb.* p. 57 esse disputationem contra christianos, ut alterum *Berith*, cum quo reapse a Davide Kimchio conjungitur in priori testimonio, et utrumque contra christianam religionem esse exaratum monet etiam Antonius Margarita in *Declar. cap. LIII Isaiae* p. 79 b. Eum ms. apud Oppenheimerum servari monet Wolfius T. III p. 423. Sed editus *Catalogus* silet.

L

76 * *Lettre d'un juif à un chrétien de ses amis, dans laquelle il déclare les raisons qui l'empechent d'embrasser la réligion chrétienne* 8. 1751.

Extat in *Dissertations critiques sur la partie prophétique de l'écriture* sine loco et auctore editis hoc anno a pag. 249 ad 269. Urget potissimum temporale regnum quod Messiae adscribunt prophetae et V. T., nec in Jesu ac N. T. adimpletum est, sed adhuc implendum et venturum.

77 * *Lettre des rabbins de deux synagogues d'Amsterdam, à M.r Jurieu; traduite de l'Espagnol* an. 5446, Chr. 1686.

Inserta est Richardi Simonii *Lettres choisies* T. I p. 319 ad 338. Occasionem nacti rabbini illi ex nonnullis quae in judaeorum favorem scripserat Jurius in suo *Accomplissement des prophéties*, gratias ei referunt simulque demonstrare conantur Messiae adventum et regnum, Israelis restitutionem, et templi reaedificationem adhuc futura, nec christianorum Messiam, in quo signa haec et oracula non adimpleta, verum esse Messiam a se expectatum.

78 * Lipmanni R. Jom Tov ספר נצחון *Sefer nitzachòn*, *Liber victoriae*, 4. Altorfi 1644, et 16. Amstel. 469, 471, Chr. 1709, 1711.

Prima illa editio rarissima. V. Vogt *Catal. lib. rar.* pag. 326, Engel *Bibl. selectiss. lib. rar.* p. 64, Wolfium T. II pag. 1449, Reimanni *Biblioth.* pag. 889, Solgeri *Bibl.* T. II, *Bibl. Thomas.* vol. I p. 385, et *Schalbrukianam* p. 68. Ea Altorfii prodiit, non Norimbergae, ut habet Scabtaeus p. 54, et Hackspanii cura, non Wagenseilii, ut habent editores Amstelodamenses. Curavit autem, quod monere neglexit Wolfius, ex codice anni 349, seu 1589, sive ex exemplari furtim a se ad eum descripto, tractatumque subjunxit *De usu librorum rabbinicorum* Norimbergae impressum. Extat apud me utraque editio, Altorfina et Amstelodamensis, cujus annus aperte in meo exemplari exprimitur per voc. ותבונה 469. Wolfius alium plane annum 471 seu 1711 illi assignat T. III pag. 661, quem et Oppenheimeri *Catalogus* confirmat. Si annus hic non solius tituli, sed novae editionis est, prior illa est Wolfio ignota. Aliae forte deinceps curatae. Liber ipse nefarius anno 1399, non 1459, ut nonnulli autumant, ab auctore compositus est, et contra christianos in primis, deinde vero et contra atheos, sadducaeos, et karaeos directus, singulos percurrens V. T. libros, ac singula excutiens ac vindicans eorumdem librorum loca, unde ii sua dogmata demonstrant. Loca haec sunt

354 pro numero dierum anni lunaris, fusque eorum omnium index praemittitur, in quo ea pro varietate hostium qui confutantur, ad varia capita revocantur, et in septem hebdomadae dies, seu septem sectiones dividuntur. Ita solius indicis est haec divisio, non libri, ut habet Wolfius T. I p. 735, ubi fuse is recensetur. Ad biblicarum porro controversiarum calcem breviorem disputationem auctor subjecit, quam cum Petro quodam apostata seu exjudaeo habuit, ad calcem vero libri sive ipse, sive alius quispiam תשובות seu *Responsiones* illas Kimchii ex Psalmis decerptas, quas supra commemoravimus. Mss. codices varii in variis bibliothecis extant saepe inter se diversi, habetque etiam nostra sub n. 394. Ex tribus diversis varias lectiones collegit et in limine *Tract. Sotà* edidit Wagenseilius, quibus Hackspanii textus valde mendosus multis in locis potest emendari, particulas vero non paucas latine vertit et cum breviore confutatione Altorfii an. 1643 ac binis sequentibus vulgavit sebaldus Snellius, quae ad Gen. II 17, et ad libros propheticos et agiographos potissimum spectant. V. Fabric. *Hist. bibl. Fabr.* T. V pag. 324. Inauguralem *Disputationem* Nitzachòn nostro opposuit Gerlovius Regiomonti 1647, unam de gloria II templi Mundinus Jenae 1719, dispu-

tationes alias nonnullas sub *Antilipmanni* titulo Christianus Schotanus Franquerae anno 1659, *Dissertationes* suas plerasque Jo. Frischmutus, Lipmanniana vero argumenta ex scriptoribus nostris antijudaicis quamplures refutarunt. Ms. etiam opus, sed imperfectum, contra hunc librum paullo post ejus compositionem, seu anno 1420, reliquit Stephanus Bodecker episc. Brandemburgensis, qui delitescit in bibliotheca regia Berolinensi. V. Wolf. T. II pag. 1016.

79 * Ejusd. R. Lipmanni זכרון ספר נצחון *Ziccaròn* seu *Memoriale carmen libri Nitzachòn* heb. et lat. cum confut. Wagenseilii in *Telis igneis Satanae* 4. Altorfii 1681.

» Lipmannus, confecto infelici opere, memoriae tribulium consulturus, potiora ejus argumenta strictim et breviter carmine complexus est, idque ediscendum proposuit, ut responsiones adversus christianos tanto magis in promptu haberentur, si ex improviso cum his agendum esset ». Wagenseilius in praefatione. Carmen perpaucas occupat paginas, et nonnisi a p. 105 ad 117 protrahitur, sed fusissima confutatio a 118 ad 633, non computato indice.

80 Lombrosi R. Jacob *Propugnaculum judaisini*, MS.

Servatur apud judaeos Amstelodamenses et contra v librum Hug. Grotii *De veritate*

relig. christ. judaeis oppositum est exaratus. V. a Lent *Theol. jud. moderna* p. 136. Ab Isaaco Orobio habuit etiam Limborchius, qui et illum citat in *Collatione* cum eo habita, et in *Comm. ad acta apost.* p. 85 quasdam ejus exceptiones refutat. V. Wolf. T. I p. 605.

81 Lupercii R. Isaac *Apologia, y respuesta y declaration de las 70 semanas de Daniel*, 8. Basil. 5418, Chr. 1658.

Catal. libr. David Nunnes Torres p. 33, *Biblioth. Huls.* T. IV pag. 372, et ex iis Wolf. T. IV pag. 883. Eadem ut videtur, cum nostri auctoris *Apologia relig. judaicae* adversus monachum Hispalensem, quam legisse se testatur Allixius in ep. ad R. Jac. Ph. ej. *Diss. de dupl. Messiae adventu* inserta, Wolfius vero ms. putat T. II p. 1052.

82 Luzzati R. Ephraimi גאולה *Gheulà*, *Redemptio*, MS.

Seu de futura redemptione per Messiam facienda ex ms. nota Amst.. Auctor professione medicus et ex Sancto Daniele Foro-julii, sed Londini degens, ubi heb. carmina edidit.

83 Luzzati Marci doct. Tergest. צריח בית אל *Tzerìach beth el*, *Turris domus Dei*, MS.

Est hebr. versio hisp. operis R. Abr. Gher Cordubensis *Fortaleza del judaismo* multis annotationibus locupletata. Vidi in bibl. publ. synag. Mantuanae, eamque commemorat Brunsius in *Annal. Helmst.* 1784 p. 290.

84 Maalem Mosis *Liber contra christianam religionem*, MS.

Panormitanus auctor et christianus, olim P. Clemens dictus, sed ad judaeos dilapsus. V. Schudtii *Memorabilia judaica* P. IV cont. I p. 203 et Wolf. T. III p. 710.

85 * מחזור *Machazor*, *Cyclus* seu *Breviar. judaic. precum totius anni* varii ritus.

Huc referendi potissimum mss. hujus libri codices vel vetustissimae editiones, ubi preces non paucae et cantica continentur antichristiana ac nobis injuria. Ex mss. codicibus qui integra haec loca sistunt, plurimi in nostra hac bibliotheca extant. Sunt et non pauci in bibliothecis exteris, inter quos eminet Norimbergensis, de quo plura Wulferus in *Animadversionibus ad Theriacam judaicam* p. 305, Wolfius T. II p. 1345, et de Murr in *Memorabilibus bibl. Norimb.* T. I pag. 20. Inter editiones conferendae Soncinensis omnium princeps an. 1486, et Sonc. alia sine an. et loco, de quibus diximus in *Annal. heb.-typ. sec. XV* pag. 46 et 149, tum et Pisaurenses binae sub in. XVI seculi curatae, Thessalon. 1527, Pragensis 1533, Augustana 1536, Ariminensis sine anno, ac Bononien. 1540-41 in *Annal. MDI ad MDXL* a nobis descriptae. Inter eas preces praeter

cantica quae pleraque Wulferus ex eo codice restituit, binae praesertim celebres sunt, oratio עלינו *Alènu*, et ברכת המינים *Bircàd amminìm*, *Increpatio contra haereticos*, de quibus multi ex nostris scriptoribus multa scripserunt. V. inter ceteros eundem Wulferum cit. loc. p. 309 et 327, Wagenseilium in *Telis igneis* p. 218, Majum *Bibl. Uffenb.* T. I p. 66, et Wolfium T. I p. 1119, et II p. 1462. Quamquam porro sint ex hebraeis complures, inter quos R. Dav. de Pomis *De medico hebraeo* p. 73, et Cardosus *Excelencias de los hebreos* pag. 352 et 354, qui contendant binas has precandi formulas christianos nulla ratione respicere, sintque etiam ex nostris nonnulli, ut Bartolocius ac Wagenseilius, qui putent eas saltem primitus adversus nos non fuisse conscriptas, plerique tamen aliter sentiunt multisque congestis argumentis demonstrant, quibus bina alia bini nostri codices addunt. Etenim in priori oratione sub nomine ורים gematrice innui ישו *Jesum* tradit cod. meus 1033, posteriorem vero, seu *Bircad amminìm* על תלמידי ישו הנוצרי *super discipulis Jesu Nazareni* fuisse olim Jafnae a majoribus suis constitutam aperte monet nota cod. 159, cum Jarchio concinens qui et hoc ipsum ad cap. IV *Beracòth* docuerat. Conf. dicta ad eundem codicem.

86 * Machir (R.) אבקת רוכל *Avkàd rochèl*, *Pulvis aromatarii* 4. Arimini 286, Chr. 1526, et Augustae Vind. 306, Chr. 1546, et in 8. Ven. 326, Chr. 1566.

In manibus nostris sunt binae posteriores editiones. Ad eum annum referenda Augustana, non ad 300, seu 1540, ut habent Scabtaeus et Wolfius, nec ad 316, seu 1556, ut *Catal.* Oppenheim. Ms. bis extat in bibl. nostra, videlicet in cod. 119 et 147. Huc spectat lib. 1, qui de signis agit futurae redemptionis, de bellis et Edom, seu christianorum destructione, ab Hulsio latine versus in *Theol. judaica* 4. Bredae 1653.

87 * מעשה ישו *Mahassèh jescù*, *Historia Jesu.*

Idem cum *Toledòth jescù* nefando ac blasphemo opusculo diu notissimo et edito. Hunc titulum praesefert cod. noster 96, qui cum karaiticum alium libellum contineat, et a karaeo sit descriptus, *Historiae* hujus seu potius putidissimae fabulae apographum exhibet, quale apud karaeos servatur ac legitur, ab eo quod Wagenseilius et Huldricus ediderunt, saepe diversum. Conf. annotata ad eum codicem. Hoc eodem titulo instructus erat ms. codex Ernesti Jablonskii, ut notat Wolfius T. II pag. 1445, qui et ex Wagenseilio ac Lentio profert exempla inscripta מעשה תולע *Mahassèh tolàh*, מעשה תלוי *Mahassèh talùi*, *Historia suspensi*. Habui o-

lim prae manibus exemplar, quod, nomine ipso Jesu vel suspensi caute suppresso et subintellecto, inscribebatur tantum כך וכך מעשה *Sic et sic Historia*.

88 מקל נוצרים *Makkèl notzerìm*, *Baculus christianorum*, MS.

Disputat auctor anonymus contra religionem christianam, ea potissimum evertens quae in ejus favorem ac praesidium ex sacris litteris depromuntur. Ex ms. nota judaei Amstelodamensis, apud quem extabat.

89 Mardochaei fil. Jeosaphae ס׳ מחזיק אמונה *Sefer machazìk emunà*, *Liber confirmans fidem*, MS.

Est disputatio inter judaeum et christianum, quam memorat Bartoloccius et extat in Vaticana. V. ej. *Catal.* T. I pag. 236 ad cod. 270. Sed uterque tamquam anonymum proferunt. Scabtaeus et ante eum R. Ghedalias ben Jachia in *Scalcèled* fol. 54 b eum tribuunt Mardochaeo nostro filio Jeosaphae, dissimulato tamen argumento, quod cum Vaticano codice congruere, eundemque plane esse librum non dubitat Grodeckius in *Theatro anon.* p. 705 et Wolfius T. I pag. 791. In XIII portas seu sectiones distribuitur pro XIII articulis fidei judaicae a Maimonide constitutis, quos ineptis argumentis adversus christianam religionem auctor conatur adstruere.

90 Marpurgi Sansonis medici Patavini *Oppositioni* seu *Objectiones in christianam religionem*, italice.

Una cum aliis Abr. Joelis Conigliani edidit et refutavit Benetelli sub tit. *Dardi rabbinici infranti* 4. Venetiis 1705, testans in praef. se eas mss. ex auctore ipso, per alterius tamen manum, accepisse.

91 R. Matathiae נצחון ס׳ *Liber Nitzachòn* seu *Victoriae*, MS.

Eum valde antiquum esse et disputationes complecti contra evangelium monet Scabtaeus in *Scifiè jesc.* pag. 54, et ex eo R. Jechiel in *Seder adoròth* fol. 173 verso. Ante utrumque Buxtorfius observaverat in *Bibl. rabb.* p. 146 illum habere ultra trecentos annos antiquitatis, Schickardum vero ex Osiandri bibliotheca nactum edere et refutare coepisse, sed praematuram mortem nobis invidisse laborum perfectionem. V. ej. *Bechinad apperuscìm* et *De jure reg. heb.* p. 449. Hoc autem Nitzachòn non ab Hackspaniano modo Lipmanni, sed et a vetere ipso Wagenseilii diversum esse recte quidem meo judicio vel ex eo conficit Wolfius T. 1 pag. 739, quod a Buxtorfiano exemplari, Schickardo ipso teste, illud differret, quod cum Wagenseiliano consentiebat, huicque sententiae standum est, donec aliter non suadeat Schickardiani codicis collatio. Quam-

obrem Koëcherus, qui aliter conscribit in *Nova biblioth. heb.* T. I p. 86, unum cum altero proculdubio ex errore confudit. Nec enim Wolfium emendat, aut ullum de hac re argumentum producit.

92 R. Mathatiae fil. Mosis אחיטוב *Achitov* seu ויכוח *Vicuàch*, *Disputatio inter hebraeum, christianum et turcam*, MS.

Catal. Oppenh. mss. fol. I verso, qui subdit pulchrum esse librum rythmis seu egregiis carminibus constantem. In ea bibl. viderat Wolfius, ut patet ex T. II pag. 1259 n. 47, sed nec argumentum, nec auctorem prodiderat. Vix autem dubitandum, quin disputatio in religione versetur.

93 * R. Meir filii Simeonis מלחמת מצוה *Milchèmed mitzvà*, *Bellum praecepti*, MS.

Reperitur in bibliotheca nostra inter mss. codices sub n. 155. Nullibi in codice proditur auctor, sed ex V partium divisione et mole libri patet non esse antichristianum hujus tituli opus R. Joseph Kimchì, sed alterum R. Meir filii Simeonis, quod notat Wolfius T. III p. 679 Venetum rabbinum Aboabum ad Ungerum misisse. Ex nostro hoc codice florebat is sec. XIII. Nam sub init. II derascae, seu dissertationis quae extat in parte I, ait praeteriisse a destructione templi usque ad an. V minoris supputationis V millenarii annos 1177, וממ׳ת אותו האיש

לחשבונם אלף ורמ"ה *a morte vero illius viri* (Jesu) *juxta computum illorum* (christianorum) 1245. Florebat autem in Gallia et Narbonae, quia subdit sub fin. illius sectionis se illic describere responsum, quod dederat ad quaesita episcopi magni Narbonensis, fol. vero 64 quod scripserat *super decretis et statutis, quae fecit dominus noster rex Galliae super filiis populi nostri in omnibus provinciis regni sui*. In ea II derascà 15 profert rationes quas habent judaei Jesum ejusque legem vel fidem rejiciendi, parte II in compendium rediguntur quae fuse in I dicta sunt, aliaque non pauca adduntur, §.is 160, parte III exponuntur sacrae scripturae loca quae agunt de futura redemptione, IV multis confirmatur religio judaica, V Deuteronomii versus *Audi Israel Dominus Deus noster Dominus unus est* explanatur, et de Dei unitate et contra trinitatem disseritur.

94 * R. Menassè ben Israel *Conciliator sive de convenientia locorum sacrae scripturae quae pugnare inter se videntur*, *Conciliador, o de la conveniencia de los lugares de la s. escriptura* etc. hispanice 4. IV voll. Amstel. 1632, 1641, 1650, 1651.

In scriptis hujus auctoris latere virus judaicum jam pridem cognoverunt Buxtorfius et Mullerus. V. Buxtorfii *Catalecta* p. 444.

Ac Mullerus quidem in praef. ad *Judaismum detectum* uberius monet ea nihil aliud esse, quam confutationem christianismi et confirmationem judaismi. Quod judicium probat Wolfius T. I p. 781. Conf. etiam Hoornebeckius proleg. ad lib. *De convertendis judaeis* p. II, et Walchius *Biblioth. theol. sel.* T. I p. 860, qui tamen in eo emendandus, quod librum sub *Concionatoris* titulo male producat. Multa sane sunt in hoc opere aliunde erudito et utili, et a christianis ac judaeis quammaxime commendato, praesertim vero in III parte quae posteriores prophetas complectitur, quae contra christianorum expositionem, dissimulato plerumque eorum nomine, et in judaicae favorem Manasses disputat, totusque est quaest. IX in Ezech. ut ostendat nomine Edom Romam intelligi, edomaeos esse Romanos ac christianos, ac prohinde quae de eorum destructione a prophetis dicuntur, nos respicere. Prima pars prodiit etiam latine anno 1633, sed omissis 30 quaestionibus. Plenior ergo et integrior est hispanica, quae pro Amstelodamo ementitum Francofurti nomen habet in fronte. Secunda mendosum an. in nonnullis exemplaribus praesefert 5041 pro 5401, seu 1641, non pro 5410 seu 1650, ut habet Rodriguez de Castro *Bibl. rabb. esp.* T. I p. 552, ubi fuse nostri Manassis scri-

pta describit. Operis raritatem testantur Reimannus p. 317 et *Bibl. Thomas.* vol. 1 p. 385 et alii. Quod potissimum de integro exemplari ac de tribus postremis partibus intelligendum est, quae sunt reapse rarissimae. Nec solus *Conciliator*, sed plerique ac fere omnes auctoris nostri libri variis linguis editi sunt rari.

95 Ejusd. R. Menassè ben Israel *De cultu imaginum ipsiusmet Dei contra pontificios* latine MS.

Profert et quidem inter libros absolutos et paratos ad prelum ipsius auctoris *Catalogus* a Pocockio editus. V. ej. *Vitam Manassis* nostri praefixam libro *De termino vitae*, *Biblio. Angloise* T. XIV P. I p. 88, et *Relationes innoxias de reb. nov. ant.* 1744 p. 230. Hinc male ex alio indice minus accurato ac II vol. *Phoenicis* angl. inserto p. 425 librum hunc tamquam tantum affectum laudat Wolfius T. III p. 709.

96 * Ejusd. מקוה ישראל *Esperanca de Israel* hispan. 8. Amstel. 1650 et 1723 et Smirnae 5419, Chr. 1659.

Posterior haec rarissima editio apud nos extat. Nititur Manasses ostendere decem tribus in variis regionibus adhuc latere, ac Messiae tempore reversuras, et generalem judaeorum redemptionem ex prophetarum oraculis tunc implendam. V. Wolf. T. I p.

780, et Schelhorn. *Amoenit. litter.* T. XIV p. 585. Manassis libello opposita est Theoph. Spizelii *Elevatio relationis Montezinianae de repertis in America tribubus Israeliticis et discussio argumentorum a Menasse b. Israel in spe Israelis conquisitorum* 8. Basil. 1661.

97 * Idem liber *Mikvè israèl* seu *Spes israelis* heb. versus 12. Amstel. anno 458, Chr. 1698 et 1703.

Est ex versione R. Eliakimi fil. Jacobi, quod monere neglexit Wolfius. Latine etiam prodiit, anglice, belgice et judaeo-germanice. V. Wolf. T. I p. 783, et III p. 707.

98 * Ejusdem *De la resurreccion de los muertos* 12. Amst. 5396, Chr. 1636.

Etiam hunc librum ad *Bibliothecam* hanc nostram referimus, maxime ob cap. II lib. III, in quo ex prophetarum vaticiniis ostendere conatur auctor mortuorum resurrectionem ab adventu Messiae et futura israelis liberatione separari non posse. Latine prodiit eod. anno, et Groningae an. 1676, cui editioni *Bibliotheca Thomasiana*, *Saltheniana*, et *Universalis lib. rar.* raritatis notam assignant.

99 Ejusd. Menassè ben Israel *Liber contra religionem christianam*, MS.

» In Anglia, inquit Spizelius in *Coron. philol. arcanis biblioth. sacris retectis* addita pag. 382, adhuc superesse ajunt arma ejus funestissima aeternisque tenebris sepelienda,

quae tandem in Christum suosque voluit convertere, et directe quidem, quod antea indirecte fecerat ». Putat Wolfius T. I pag. 786 forte hunc esse librum illum lusitanicum contra relig. christ., quem Kidderus in praef. ad P. II *Demonstrationis Messiae* ubi passim eum confutat, scribit Cudworthum a Menassè ben Israel accepisse, cujusque auctorem Manassem ipsum esse Kidderus suspicabatur. Potest esse et *Colloquium* illud *Middelburgense*, quod sub R. Lusitani nomine in *Judaismo detecto* passim confutavit Mullerus, nostrique auctoris esse conjicit Fabricius *Biblio. graeca* T. VII p. 131 et *Syllab. script. pro rel. chr.* p. 593. Quam conjecturam ex eo confirmari putat Wolfius T. IV p. 903, quod Manasses, teste Pocockio in ej. *Vita*, Middelburgi sub vitae finem versatus sit, ac fato functus. Conf. tamen antea dicta sub R. Jacobo Jeh. Ariè.

100 * Mendelssohn Mosis *Schreiben* seu *Epistolae ad Lavater* germ. 8. Berol. 1770.

Huc potissimum trahendae ob ea quae de miraculis habet in *Nacherinnerung* seu *Monito* Lavateri responso subjecto, fuse et acriter contendens ex iis neutiquam christianae vel ullius religionis veritatem demonstrari. Conf. ipsius Lavateri et Köblii observationes. Quod tamen non obstat, quin honorificum de morali institutoris christianismi charactere

ac blasphemi in eum scripti *Toledòth jescù* falsitate et futilitate testimonium in his eisdem litteris auctor noster ferat, quod olim contra judaeos agentes prodidimus. V. *Della vana aspettazione degli ebrei* pag. 185 et 189. Gallice prodierunt sub titulo » Lettres juives du célébre Mendelsshon philosophe de Berlin, avec les remarques et les réponses de M.r le doct. Köble, et autres savans hommes 8. Francf. 1771 ».

101 * מלחמות חובה *Milchèmed chovà*, *Bellum debiti* 8. CPoli 470, Chr. 1710.

Est antichristiana quorumdam scriptorum rarissima collectio. Opera contenta sunt 1.° R. Abr. Romani *Praefatio ad librum Sèlah ammachlekòth*, seu *Petram divisionum*, 2.° R. Mosis Nachmanidis *Vicùach* seu *Disputatio cum fratre Paulo* fol. 1, 3.° *Vicùach* seu *Disputatio* R. David Kimchì fol. 13, 4.° R. Josephi Kimchì *Liber berith* seu *foederis* fol. 18 verso, 5.° R. Simeonis bar Tzèmach *Petirad emunàd notzerìm*, *Expositio fidei christianorum* fol. 38 itidem verso. De singulis sub singulorum titulis. Constat foliis 68, non 69, ut habet Wolfius T. IV p. 725, ubi fuse eam describit, non supputata illa praefatione, et *libello tonitruum ac terraemotuum*, qui editioni subjicitur. Liber correctus est a Jacobo ben R. David ben Forna, et impressus ex mandato et in

typographia sociorum Nephtali Herz et Azriel de Wilna per typogr. Jonam fil. Jacobi, compositore Abraamo fil. Jehudae Lev, operis vero praefecto vel moderatore Josua Polono fil. Sal. Zalman. Parum accurate eum Abr. Romano tamquam editori et collectori, ut infra monemus, tribuit Wolfius, qui et eum cum Abr. Lev perperam confundit.

102 Montalto Eliae *Livro em que mostra a verdade de diversos textos e cazos, que alegaon as gentilidadez para confirmar suas seictas; Liber in quo ostendit veritatem diversorum textuum et casuum, quos afferunt gentiles* (seu christiani) *in suarum sectarum confirmationem*, lusitanice MS.

Plura de eo Basnagius *Hist. des Juifs* T. IX p. 608, ubi ejus excerpta suppeditat, notatque contra originale peccatum et trinitatem potissimum esse directum. Memoratur etiam in *Bibliotheca Sarrasiana* inter libros in 4. p. 9 n. 95, Wolfio teste T. I p. 104.

103 Mortera R. Saul Levi *Tratado de la verdad de la ley de Moseh, y providencia de Dios con su pueblo*, seu *Tractatus de veritate legis mosaicae, Deique erga populum suum providentia*, hispanice MS.

Circumfertur inter judaeos Amstelodamenses et extat in biblioth. Sarrasiana. V. ej. *Catal.* inter lib. in 4. p. 8. n. 86. Ex hac bibliotheca fuse eum describit ejusque sum-

mam exhibet Basnagius in *Hist. jud.* T. IX p. 1018, ex qua constat non tam mosaicam legem defendi, quam christianam acriter impugnari. Hoc idem judicium fert Rodriguez de Castro qui aliud hujus tractatus exemplar vidit Matriti in bibl. patrum Mercedis, quod LXVI capitulis constabat ac foliis 499. » Haciendo, inquit is *Bibl. rabb. esp.* T. I pag. 573, un cotejo entre la ley mosayca y la cristiana, habla de esta con el mayor vilipendio, ultrajando en particular cadauno de sus dogmas mas principales, ridiculizando sus ritos, ceremonias y sacrificios, y blasfemando de sus mas sagrados mysterios: de modo que puede decirse ser este libro una colecion de las calumnias, y oprobrios que contra la religion cristiana han proferido los judios mas protervos ». Pro validissima etiam christianorum confutatione illum venditat Collinius in *Discourse of the grounds of christianity* p. 82. Conf. Wolf. T. III pag. 1002. Dubitandum autem non est quin ad hunc librum alludant ac referenda sint ea Barriosii verba in carmine *Arboris vitae* opusculis ejus inserto p. 77:

» La *Divinidad* provò
» De la ley: desbaratò
» Las sinensas *objeciones*
» Notò las *contradiziones*
» *De falsos ensennamientos*.

104 Idem liber hebraice sub tit. תורת משה, אמת והשגחת ה׳ על עמו *Toràd moscè emèd, Lex Mosis veritas et providentia Dei super populum suum*, MS.

Scifiè jescenim pag. 88, et ex eo *Sèder adoròth* fol. 179 verso, et Wolfius T. I p. 1022, et III cit. p. 1002, ubi asserit extare in bibl. Oppenheimeri, etsi in edito ejus *Catal.* non compareat. Priore autem loco suspicatur eundem esse cum libro *De divinitate legis*, quem Isaacum Gomes convertendum curasse scribit de Barrios in *Luzes de la ley divina* p. 4.

105 * Morterae ejusd. דרושים *Deruscim*, *Sermones in Pentateuchum* 4. Amstelod. an. 405, Chr. 1645 et MSS.

Sub tit. גבעת שאול *Collis Saul*. Sunt ii 500, ex quibus 50 solum editi, reliqui inediti, quorum elenchus ad priorum calcem exhibetur. In hisce sermonibus christianos impugnari, immo et integras aliquot homilias huic instituto destinari jam observavit Carpovius in notis ad eam quam ipse latine vertit *De aeterno ac indissolubili legis mosaicae cum gente israelitica nexu*. V. ej. *Animadv. philol. crit.* p. 159 et 169.

106 R. Mosis fil. Mosis fil. Jekuthielis *De veritate fidei judaicae disputatio* MS.

Extat in bibl. ol. reg. Parisiensi. V. ej. *Catal. mss. cod.* T. I p. 9 cod. 100 n. 3.

107 R. Mosis Narbonensis *Liber* המיחד *ammejachèd*, *De unitate Dei adversus christianos* Abu Achmet Algazeli heb. versus MS.

In tres partes distinctus est et extat in Vaticana. V. Asseman. *Catal. mss. cod. Vatic.* T. I p. 176 cod. 209 n. 5, et Bartolocc. T. I p. 2. Sub alio titulo יחוד אלהות ס׳ recenset R. Scabtai pag. 28 n. 34, et *Seder adoròth* fol. 168 verso.

N

108 * Nachmanidis R. Mosis ויכוח *Vicùach*, *Disputatio cum fratre Paulo*, in *Milchèmed chovà* 8. CPoli 1710 et Wagenseilii *Telis igneis* heb. l. 4. Altorfi 1681.

Legitur in CPolitana ea collectione a fol. 1 ad 13, in Wagenseiliana vero post *Disput. R. Jechiel* a pag. 24 ad 60. In eo autem differunt binae hae editiones, quod prior illa sit accurata, integra, pura, posterior mendosa, mutila, interpolata, quippe quae facta est ex Argentoratensi codice qui sub initium deficiebat, ac multis praeterea mendis ac germanicis posterioris manus vocibus et interpolationibus scatebat. Ex CPolitano exemplari, quod est rarissimum nec a judaeis facile extorquendum, lacunam hanc supplet varietatisque specimen dat Wolfius T. IV p. 719, sed vitiose adeo, ut mirum sit tantum virum tam insigniter potuis-

se coespitare. Graviores tantum notamus qui in primis lineis occurrunt. Pro ובוניו תוד׳ legit CPol. textus ובוני ותוד׳, pro אתמא, אתיוה, pro וארעה, וראה, pro אנ״קים, אלק׳ם, pro יהרד, וצדיק, pro וצדירת, אתיוה, pro אתמה, יהרג. Vera ergo Nachmanidis lectio ex CPol. ipsa editione petenda, vel ex ms. aliquo codice bonae notae, qualis est cod. noster 157 membranaceus sec. XIV, qui cum ea editione generatim consentit. Absunt autem tum a ms. meo codice, tum ab edit. CPol. germanicae eae voces et interpolationes, ideoque perperam ex iis *Disputationem* hanc non Nachmanidis nostri, sed recentioris alterius judaei esse suspicabatur Basnagius *Hist. des Juifs* T. IX p. 494. Ms. servatur etiam in bibl. Leidensi. Vide ej. *Catal.* pag. 289. Disputatio porro haec contigit an. 1263 Barcinone coram Jacobo Aragoniae rege. V. eundem Basnagium et Wolf. T. I p. 881.

109 * Nachmanidis ejusd. ביאור על התורה *Biùr hal attorà*, *Expositio legis*, fol. sine an. et l., Ulyssip. 1489, Neap. 1490.

Non pauca habet in sectione Balak in christianos injuria et de eorum excisione disputata. Sed ea in recentioribus editionibus sublata sunt. Quaerenda ergo in mss. codicibus et in antiquis illis editionibus sec. XV, vel si eae praesto non sint, in iis quae factae sunt sub in. XVI, ut Pisaurensi 1514,

Thessal. 1520, CPolitana 1522. De prioribus illis V. *Annal.* nostros *sec. XV* p. 64, 71, 122, de posterioribus *Annal. MDI ad MDXL* p. 8, 21 et 23.

110 * Nachmanidis ejusd. ספר הקץ *Sèfer akkètz*, *Liber de termino redemptionis*, MS.

Ex Bileami, Mosis ac Danielis oraculis futuram judaeorum per Messiam redemptionem suadere conatur, cujus etiam terminum assignat, sed diu praeteritum. V. *De vana hebr. expectatione* pag. 129. Extat in cod. nostro 117, ex quo patet eundem esse cum libro הגאולה *de redemptione*, quem ut diversum Wolfius aliique recensent. V. annotata ad eum codicem.

111 Nach R. Isaac *Scriptum antichristianum*, MS.

Illud extare multumque eo gloriari judaeos ex lusitani judaei ore accepit Wolfius T. III p. 606.

112 Nathanaelis Eliae *Scriptum de Christo ejusque regno contra christianos* germ. MS.

A Brenio latinitate donatum, ac notis seu animadversionibus illustratum in bibliotheca Roterdamensi aliqua absconditum vidit et legit Jo. a Lent. V. ej. *Theol. jud. mod.* p. 136. Male Nathan appellat, exque uno eodemque auctore binos facit Wolfius T. II p. 1053.

113 Nathan R. Isaac תוכחת מתעה *Tocachad mathhè*, *Confutatio seductoris*, MS.

R. Scabtai in *Sciftè jesc.* p. 82, Jechiel in *Seder adoròth* fol. 178 verso, Buxtorfius *Bibl. rabb.* ex Legeri addit. p. 111, Hottingerus in *Biblio. orientali*, Bartoloccius T. III pag. 916, Basnage *Hist. des juifs* T. IX pag. 697, et Wolf. T. I p. 464 et 683. Notat Scabtaeus esse contra apostatam Hieronymum, seu Hieronymum de sancta fide, qui anno 1412 coram Bened. XIII cum judaeis disputaverat, et contra eos scripserat. V. Wolf. priori loco sub Josua Lorki, ut primum is vocabatur.

114 Nathan ejusd. Isaaci מבצר יצחק *Mivtzàr Itzchàk*, *Munitio Isaaci*, MS.

Disputatio contra christianos. Buxtorfius, et Bartolocc. cit. l., Scabtai p. 38, *Seder ador.* f. 170 verso, et Wolf. T. I p. 683.

115 Nestorii monachi ex christiano judaei *Liber contra relig. christianam*, MS.

Extat in Vaticana num. 68, teste Bartoloccio ac Wolfio T. I p. 916.

116 * Nicholas Eduardi *Apologia por la noble nacion de los judios*, hispanice 12. Smyrnae 1659.

In titulo dicitur anglice scripta et Londini impressa an. 1649, Smyrnae vero recusa, anno non designato, sed eodem, quo Manassis *Esperanca de Israel*, cui subjungitur. Sub ementito eo nomine latet judaeus. Ostendit judaeos esse Dei populum, imme-

rito a christianis affligi, a Deo redimendum, divina promissa ac prophetias de eo extare adhuc adimplendas, de anglis quidem conquaestus, sed contra catholicos romanos potissimum invehens, ac papam qui eos saepe extorres summa clementia excepit. Paginis constat 24 et belgice etiam prodiit a. 1666.

117 * Nieto R. David *Respuesta al sermon predicado por el Arçobispo de Cangranor*, hisp. 8. En Villa Franca sine anno.

In fronte dicitur edita *por el author de las noticias reconditas de la inquisicion*, quae illius rabbini sunt. V. Wolf. T. III p. 204. Edita autem est post auctoris mortem, quae contigit an. 1728, et ut videtur, Londini, ubi is etsi origine Venetus, degebat ac rabbini supremi munere fungebatur. Hinc in Wolfio nulla ejus vestigia. Nulla etiam, quod miror, in Rodriguez de Castro, qui p. 608 ac seqq. fuse nostri auctoris scripta persequitur. Quod libelli hujus raritati tribuendum opinor, quae reapse est maxima, ac tanta quidem, ut primum coactus sim ms. exemplar mea manu describere, ac nonnisi summo labore editionem ipsam deinceps obtinuerim. Lusitanus ille archiepiscopi sermo, *Sermam do auto da fe*, cui senex noster Nieto a suis excitatus se opposuit, Ulyssipone recitatus est die VI sept. anno 1705 eodemque anno ibidem editus. Multa sunt

quae hinc inde disputantur et examinantur, sed praecipue Isaiae oracula cap. VII et IX, Jerem. XXXIII, Malach. I, ac Jacobeum Gen. XLIX, unde Messiae divinitatem et adventum archiepiscopus demonstraverat, tum et talmudica quaedam, quae addiderat, testimonia. Praemittitur autem Nieti opusculo editoris praefatio, in qua de auctoris ac libri laudibus, de religione judaica, de christianorum controversiis cum judaeis, ac de modo in iis servando disseritur.

118 * נצחון ישן *Nitzachòn vetus*, seu *Liber victoriae antiquus*, heb.-lat. in *Telis igneis satanae* 4. Altorfi Noric. 1681.

Ex ms. codice biblioth. Argentoratensis. Hackspaniano antiquiorem at longe nequiorem ac plane talem, quem omnia secula obstupescent, in praef. judicat Wagenseilius, subdens hunc eundem librum habuisse Munsterum, ex eoque complura fragmenta *Commentariis* suis *in V. T.* et *in Heb. Matthaei Evangelium* inseruisse, nullumque in eo scriptorem citari juniorem sec. XII. Conf. Wolfius T. I p. 738. Bartoloccius, qui scribit T. IV pag. 13 negativum hoc argumentum non sat probare operis antiquitatem, a Basnagio reprehenditur T. IX p. 941, qui tamen in recensione quam dat, variorum hujus tituli codicum multa et ipse peccavit et confudit. Illud porro mirandum quod subji-

cit Bartoloccius, certum esse Nizzachon, quo usus est Munsterus, et quod passim refellit, Lipmannum habere auctorem, et ad Hackspanii praefationem appellare confidenter, quae prorsus contrarium evincit. » Auctor Nitzachòn, inquit Hackspanius in ea praef. p. 218, 219, quem Munsterus atque Fagius mascule aggressi sunt, nusquam illis, quod sciam, Lipmannus dictus est . . . collatis inter se fragmentis Munsterianis nostroque Nitzachòn evictum crediderim longissime diversa esse scripta ». Ita autem comparatus est liber, ut primum ea V. T. loca excutiantur, quibus innituntur christiani, deinde vero et N. T. ac praesertim Evangelia confutentur. In percurrendis V. T. libris ordinem sequitur talmudicum, ac Jeremiam primum inter posteriores prophetas, Isaiam vero tertium collocat, quod idem facit in suo Lipmannus, certumque est antiquitatis indicium, germanicis etiam identidem verbis utitur, quae nisi pro totidem interpolationibus habeas, ostendunt auctorem fuisse natione germanum. V. p. 83, 148, 175. Praeter Munsterum ac Fagium *Nitzachòn* hoc *vetus* seu nonnulla ejus loca in examen vocavit Jo. Conradus Wakius, editis variis hac de re disputationibus quae an. 1699 Jenae prodierunt.

119 נצחון *Nitzachòn* a Lipmanniano ac Vetere diversum MS.

Extabat in bibliotheca Uffenbachiana cod. 126 in fol. foliis 20, et modo *Nitzachòn*, modo *Tescuvòth* seu *Responsionum* nomine appellabatur. V. Maii *Bibl. Uffenbach.* P. I p. 384 et Wolf. T. III p. 662. Siqui alii sunt hujus tituli libri, ii facile ad editos, cum quibus generatim consentiunt, revocari possunt.

O

120 * אותות המשיח *Odòth ammascìach*, *Signa Messiae*, MS. et CPoli 1519.

Agit de signis futurum Messiae adventum et israelis redemptionem praecessuris, ubi de bellis et destructione gentium vel christianorum. Ms. exhibent codices nostri 541 et 1240, et CPoli excusus est cum aliis opusculis an. 279 seu 1519. V. *Annal. MDI ad MDXL* p. 18 et 19. Quae editio Wolfium latuit, qui eum ut ineditum refert. Libellum alium hujus tituli et argumenti a praecedenti diversum ac fusiorem sistit cod. noster 1033.

121 Onkeneira R. Isaac פורת יוסף *Poràd Josef*, *Ramus fertilis Joseph* CPoli.

Buxtorfius *Bibl. rabb.* p. 170 ex Legeri add., Hottingerus *Bibl. or.* p. 22, Bartolocc. T. III p. 889, Scabtaeus p. 60, *Seder adoròth* fol. 174 verso, Wolf. T. I pag. 646. Fatentur omnes esse disputationem contra christianos, ac christiani quidem auctores

addunt a judaeis ipsis CPolitanis nihili aestimari. Hinc in Wolfio pro *in multo* lege *in non multo apud judaeos pretio*. Idem est hic liber cum בן פורת יוסף *Ben poràd josef* Josephi Nasì, de quo supra diximus, ab illis bibliographis perperam distinctus. Is enim in titulo aperte dicitur compositus a don Joseph Nasì, חברו שר וגדול בישראל דון יוסף הנשיא *composuit eum princeps et magnus in israel ec. don Joseph Nasì*, sed praecedit praefatiuncula interpretis R. Isaaci fil. Samuelis fil. Judae עונקינירא Onkenira, qui ait se in domo auctoris CPoli adstitisse disputationi, eamque ex ipsius principis mandato descripsisse. Ita per ע Onkenirae nomen, non per א, ut habent illi auctores, qui et libri titulum mutilarunt, et editionis formam, quae est in 4., et annum 337 seu 1577 omiserunt. Ms. habere Oppenheimerum in fol. notat Wolfius T. III p. 551. Quod falsum puto, ac confusum ms. cum edito. Nam Oppenheimeri *Catalogus* nullum ejus tituli ms., aliunde vero CPolitanam illam editionem recenset fol. 7.

122 * Orobii R. Isaaci *Tria scripta adversus christianam religionem*, in 4. Goudae 1687 et 8. Basileae 1740.

Conferatur Phil. Limborchii *De veritate religionis christianae amica collatio cum erudito judaeo* priore illo anno et loco edita

ac posteriori recusa. Sub eruditi enim judaei nomine Orobius noster intelligitur. Primum scriptum brevissimum est ac binas tantum priores posterioris editionis paginas complectitur, secundum fusius a pag. 9 ad 26 protrahitur, tertium fusissimum a 94 ad 244, reliquas Limborchii responsio et confutatio occupat. » Intentio judaei, inquit in praef. Limborchius, fuisse videtur ostendere nullas esse rationes, quibus judaei ad religionis christianae professionem, deserto judaismo, persuaderi possint, plures vero easque non exigui momenti, quibus ab ea deterreantur. Quo in argumento dextre satis ac docte se gessit. Judaeorum quippe argumenta, quibus religionem christianam impugnare solent, penitus se percepisse clare ostendit, ex iisque quae fortissima sunt, non infeliciter selegit ». Et paullo infra: » Evitare non potuit, subdit, quin quod declinare maluisset, varia contra religionem christianam, ejusque veritatem ac divinitatem conquireret, ad ostendendum non aequalibus eam comprobari argumentis, atque legem Mosis. Quare si hic contra relig. christ. quid scripserit liberius, non illud ipsi imputandum, quasi sponte occasionem evangelio obloquendi quaesivisset aut captasset, sed necessitati ». Verentur tamen eruditi Lipsienses, ne haec collatio cum judaeo nimis a-

mica videatur theologis. V. eorum *Acta* ad an. 1688 p. 212. Ejus summam exhibet auctor *Essais hist. et crit. sur les juifs* P. I cap. XI p. 135, ea vero quae contra divinitatem miraculorum salvatoris Orobius affert, seorsim refutat Witsius in *Meletematibus Leidensibus* p. 360.

123 Orobii ejusdem *Prevenciones divinas contra la vana idolatria de las gentes*, seu *Praedictiones divinae contra vanam gentilium idololatriam* hispan. MS.

In duas partes vel libros opus dividitur, quorum alter XXIX capitibus constat, alter XXVIII, uterque autem foliis 300. » Libro I. Pruevase que todo quanto se habia de inventar contra la ley de Mosseh, previno Dios a Israel en los sinco libros de la ley para que advertidos no pudiesen caer en tales errores ». Nostrum hunc virulentum Orobii foetum vix memoraverat Collinius in *Discours sur les fondements de la relig. chrét.* p. 82 et ex eo Wolfius T. III p. 552, sed luculenter deinceps descripsit Rodriguez de Castro in sua *Bibl. rabb. esp.* T. I p. 605 ex exemplari quod extat Matriti in bibliotheca patrum mercedis. » En el prologo, inquit is, habla desenfrenadamente contra los principales misterios de nuestra santa fè catolica ». Propositoque Orobii instituto et argumento, quod sibi solvendum assumit,

graviora omnia mala israeli obventura antea fuisse per prophetas revelata ac praedicta, christianam autem religionem israeli adeo exitiosam non fuisse nec in lege nec in prophetis ut malam revelatam, ac prohinde eam et bonam esse, et rectam, et acceptandam, » el dar solucion, subdit Rodriguez, a esto argumento fue el pretexto de que se valiò Orobio para arrojar toda la ponzoña judaica contra los christianos, ultrajando, abatiendo y despreciando lo mas puro y santo de sus verdaderos dogmas con las mas injuriosas expresiones, y con los dicterios mas insolentes y execrables: de modo que en toda la obra se manifiesta Orobio como judio el mas obstinado, y mas cruel enemigo de los christianos ».

124 Ejusd. *Respuesta a un predicante sobra la perpetua observancia de la divina ley*, *Responsio ad verbi divini ministrum super perpetua observantia divinae legis*, hisp. MS.

Occurrebat primo loco in collectione operum nostri auctoris, quae extabat in bibliotheca Sarasiana. V. ej. *Catal.* p. 21, Wolfium T. III p. 552, et Basnagium *Hist. des juifs* T. IX pag. 1047, ubi ejus summam suppeditat. Extat etiam a pag. 300 ad 340 in codice Matritensi patrum de mercede, quem supra commemoravimus, ex quo constat eum ministrum fuisse natione Gallum, et

Orobii responsum directum contra scriptum, quod minister ille auctori nostro obtulerat: » Respuesta a un escrito que presentò un predicante frances a el author contra la observancia de la divina ley de Moseh ».

125 Ejusd. *Explication del capitulo LIII d'Ysaias*, *Expositio cap. LIII Isai.*, hisp. MS. Legitur in eod. codice Sarasiano. Conf. Wolfius et Basnagius cit. locis.

126 Ejusd. *Explication paraphrastica de las LXX semanas de Daniel*, seu *Expositio paraphrastica LXX hebdomadum Danielis*, hisp. MS. In eodem codice Sarasiano. Conf. iidem auctores ac Basnagius praesertim, qui novam hanc, quam auctor dat, LXX hebd. expositionem fuse delineat p. 1050 ac seqq.

127 * Ejusd. *Israël vengé, ou exposition naturelle des prophéties hébraïques que les chrétiens appliquent à Jesus leur prétendu Messie* 12. Londr. 1770.

Testatur editor in praef. hoc opus ab Orobio primum fuisse hispanice compositum, deinde vero ex inedito auctoris autographo a judaeo alio nomine Henriquez gallice conversum, ut votis satisfaceret viri docti in Belgio residentis, qui videtur versionem ipsam emendasse. Ego sane non crediderim purum hic Orobii textum et opus exhiberi, sed ex ejus principiis et scriptis concinnatum, redactum, et auctum. Cap. 1 exponit

discrimen quod inter legem intercedit ac prophetias, II futuram israelis redemptionem, III ac IV christianorum expositiones super prophetiis refutantur, V agit de effectibus veri adventus Messiae, VI argumenta diluuntur quibus christiani demonstrant Messiam pro humano genere morituŗum, VII Isaiae cap. LIII de christianorum Messia interpretari non posse. Sequitur p. 187 dissertatio de Messia, qua ostendere conatur eum non venisse. Ea in octo capita dividitur. Cap. I contendit Deum israelitas praemonuisse in lege, ne sinerent se a christianis abduci, II israelem credere non debere incarnationem, III christianos esse idolatras, IV viae ac modi israeli indicantur evitandae christianorum seductionis, V incarnationem non necessariam ad expiandum peccatum Adami, VI miracula non sufficere ad confirmanda divina dogmata ac veros prophetas, VII Deum iisdem signis israelitas in captivitatem duxisse, quibus in desertum, VIII israelitarum fidem divinis revelationibus consentaneam esse opportere. Constat liber impius pag. 244.

P

128 * Peripòth Duràn, vulgo Ephodaei dicti, אגרת *Ighèred*, seu *Epistola ad Bonetum* 8. sine an. et loco.

Auctorem alii aliter vocant. R. Joseph ben Scem Tov *Propheth*, Bartoloccius male *Enprophia*, *Epistola* vero ipsa communiter etiam appellatur אל תהי כאבותיך *Al theì caavodècha*, *Ne sis sicut patres tui*, ex verbis quibus incipiunt singula capita, quaeque specie tenus videntur neophitum illum in christiana religione confirmare, re tamen vera ab ea avertunt ac revocant. Hinc subdola ea est, illusoria, antichristiana. Vide Scabtaeum pag. 3, *Sedèr ador.* fol. 163, Bartol. T. I p. 98 et 404, et Wolf. T. I p 992, et III pag. 950. Edita est, non Sabionetae, ut putat Wolfius, sed potius CPoli, ut fuse olim ostendimus in *Annal. heb.-typ. Sabion.* pag. 17 n. XIII. Quae nostra opinio confirmatur modo ex *Catal. bibl. Oppenh.*, qui referens fol. 2 illud ipsum exemplar, quod Wolfius viderat, Sabionetae locum omittit et cum epistola alia connectit CPoli impressa. Editio, summae sane raritatis, adnexam habet praefationem R. Abr. Isaaci Akrisc, commentarium R. Josephi ben Scem Tov, et alia quaedam minoris momenti, inter quae *Epistola R. Salom. Bonfir* ad magistr. Estrok a Wolfio praetermissa. Eam in Hispania publica auctoritate combustam fuisse tradit Meelführerus in *Accessionibus ad Almeloveenii Biblio. promissam et latentem* p. 157, confirmatque Schelhornius, qui ex hoc

raritatis caussam derivat in *Amoen. litt.* T. IX p. 685. Hallucinatur tamen uterque, quia decretum illud editionem ipsam praecessit ac mss. tantum exempla comburi potuerunt. V. Akrisii textum a nobis allatum in illis *Annalibus* p. 20, et a Rodriguez repetitum in *Bibl. hisp.* T. I pag. 235. Verum si tantae raritatis est editio, ut vix bina quae supersint, mihi innotescant ejus exempla, nostrum hoc variis in locis manu suppletum et Oppenheimerianum, non adeo infrequentia in pubblicis ac privatis bibliothecis sunt mss. In nostra hac bina extant sub n. 84 et 755. Habet et Vaticana in cod. heb. LXXX, ut constat ex Assemani *Catal.* T. I p. 58, qui tamen perperam notat non esse typis vulgatam. Habet Taurinensis. V. ej. *Catal.* T. I ad cod. CLX. Sed pro האפר quod mendose legitur, corrige האפד, quam notissimam Ephodaei siglam mirum est cl. Pasinum non intellexisse, qui scribit epistolam anonymam esse, nec ejus argumentum potuisse percipere. Habet Laurentiana in cod. XIV plutei III, teste Biscionii *Catal.* T. I p. 452. Habet Leidensis inter codices Scaligeranos pag. 277 n. 15, ut notant Scabraeus ac Wolfius, habuitque olim Meelführerus, ut patet ex ej. *Diss. de fatis erud. or.* cap. 16, ubi male asserit epistolam hanc esse *Toledòth* ipso *Jescù* aequiorem.

129 * Peripoth ejusd. כלימת הגוים *Chelimàd aggoiìm*, *Opprobrium* vel *Confusio gentium*, seu *christianorum*, MS.

Ineditum hoc opus, quod brevius etiam ספר הכלימה *Liber acchelima*, seu *confusionis* appellatur, ex solo testimonio R. Josephi ben Scem Tov vix memorant Scabtaeus et auctor *Sedèr adoròth*, et ex Legero Buxtorfius, Wolfius vero ex solo *Catalogo bibl. Lugd. Bat.* p. 289, seu ex solo titulo codicis 62 ejusdem bibliothecae adeo male expresso et intellecto, ut illud primum cum praecedenti auctoris nostri *Epistola* confuderit, deinde vero falso conjecerit T. II p. 1313 non tam singularem esse commentationem, quam generalem titulum variorum tractatuum qui ad hoc argumentum pertineant. Sed tria jam apud nos extant hujus libri mss. exempla, quae luculenter aliter ostendunt, quibus quartum postquam haec scripseram, paullo antiquius, doctissimi et amicissimi equitis abatis Thomae Valpergae de Calusio studio et humanitate accessit. V. codices nostros 120, 122, 124, 1269 et quae in *Catal.* ad eorum primum adnotamus, ubi et fuse agimus de ejus auctore. Duodecim porro capitibus opus constat, quorum I agit de intentione Jesu nunquam faciendi se Deum, II de trinitate, III de peccato originali, IV de divina lege a Jesu non destru-

cta, sed confirmata, v de christianorum dogmatibus ac fundamentis, vi de eucharistia, vii de baptismo, viii de romano pontifice, ix de Maria matre Jesu, x et xi de erroribus et hallucinationibus Jesu ac discipulorum ejus, xii de hallucinationibus Hieronymi. Extat etiam in Oppenheimeriana, ut ex ejus *Catal.* eruitur in mss. classe fol. 9 verso, et in Casanatensi in cod. FFF vi 7 qui perperam in *mss. Catal.* creditur unicus.

130 פרוש *Perusc* seu *Commentarius in Pentateuchum*, ms.

Anonymi judaei germani saepe antichristianus. Extabat in bibl. Uffenbachiana. V. ej. *Catal.* a Majo editum pag. 15 et exempla ab eo allata.

131 * פרושים *Peruscìm*, seu *Commentarii in sacras scripturas* mss. et editi.

In judaeorum commentariis loca quaedam identidem occurrunt, in quibus expositiones nostrae vel nostra dogmata impetuntur. Praecipuos nos hic protulimus, eosque qui vel ex instituto id faciunt, vel antichristianis illis locis magis abundant, qui propius ad *Bibliothecam* nostram pertinere videbantur. Loca alia minoris momenti extant etiam in Jarchio, in Aben Ezra, in Jalkut, in Jacobo ben Ascer, in Arama, aliisque interpretibus, quaedam in antiquis Medrascìm, in Targumim seu chaldaicis paraphrasibus

serioris aevi, in Maimonide, Mose Kotzensi aliisque auctoribus vel scriptis, quae si velis dignoscere, illud teneas oportet quod saepe ac perpetuo monuimus, ea esse in mss. codicibus vel vetustis editionibus indaganda, nunquam in recentioribus, a quibus diligenter sunt amota.

132 Pilzaro R. Abraam Israel *Discursos y exposiciones sobre la vara de Jeuda, vaticinio del insigne patriarcha Jahacob*, seu *Sermones et expositiones super Jacobi insignis patriarchae oraculo de sceptro Judae*, Gen. XLIX 10, hispan. MS.

Praemissa heb. textus lectionis praestantia et integritate varias in sui favorem cel. hujus oraculi profert interpretationes, deinde vero christianorum sententiam confutat in favorem Jesu Christi, qui nec regnum, nec pacem in orbe fundavit, subjectis aliis prophetiis ac signis hucusque non adimpletis. Conf. Basnage *Hist. des juifs* T. IX p. 1009 ac seqq., qui plura de hoc libro suppeditat, quem servat bibliotheca Saraziana. Le Longius, qui librum commemorat in *Biblio. sacra* T. II pag. 594, et ad eandem bibliothecam Sarazianam provocat n. 88, auctorem aliter appellat *Bizaro*. Quam appellationem nescio cur rectiorem judicet Wolfius T. III pag. 42 priori illa Basnagii, qui bibliothecam illam et codicem diu multumque manu versavit.

133 * Polkàr (ben) R. Isaac אגרת התרפות *Ighèred acharaphòth*, *Epistola exprobrationum ad Alphonsum, quondam R. Abner*, MS.

In cod. nostro 533 sec. XIV. Polkarium nostrum, quem Polgar pronunciat, ejusque librum contra astrologiam commemorat Bartoloccius, et ex eo Wolfius ac Rodriguez de Castro, sed de nostro hoc antichristiano silent omnes profundissime. Is in V sectiones dividitur, in quarum I ostendit auctor necessitatem legis ac religionis, II vera ac necessaria fidei dogmata in judaica religione confirmari, III eam esse reliquis universis praestantiorem ac sanctiorem, IV in ea sola foveri spem vitae aeternae, V Messiam adhuc non venisse, ubi prophetica plura oracula coacervat ac signa in II templo vel Jesu non adimpleta. De Alphonso illo a Polkario confutato, cujusque *Responsiones ad ej. Epistolam* in codice subjiciuntur, conferantur quae ad eundem cod. conscripsimus.

134 * Pomis (de) R. David *De medico hebraeo enarratio apologica* 4. Ven. 1588.

Sect. VIII ostendere nititur auctor christianos esse edomaeos, judaeorum fratres et affines, eos mosaicae legis observatores esse debere et imitatores, ut fuerunt Jesus et apostoli, qui eam legem non negarunt, vel abrogarunt, sed observarunt, sect. IX ex prophetarum oraculis ac consensu judaeos

nunquam esse a Deo abjiciendos, nec ob quodcumque crimen destituendos divina gratia et miseratione, sed congregandos de medio nationum, salvandos, restituendos ad propriam terram, contra eorum inimicos destruendos, sect. x prophetas judaeorum redemptionem, eamque temporalem praedicasse, non spiritualem, ut praedicarunt discipuli Jesu, judaeos Jesum ut Deum non agnoscentes, fretos fuisse divinis scripturis, quae unum esse Deum testantur, et ibi producuntur contra divinitatem Jesu, a cujus morte si christianus vitam et salutem accepit, eam beneficii loco habendam, non exprobrandam judaeis. Integrum libri rarissimi titulum et sectionum argumenta habes apud Wolf. T. III p. 196.

R

135 Rapa Jonae הגדה *Agadà* seu *Narratio historica de Jesu ortu, vita, mysteriis ac morte*, MS.

Ut majore hebdomada nobis sancta in usu est apud judaeos lectio *Agadae paschatis*, ea ipsa suam hanc *Agadà* suis legendam auctor proponit, satiricam et infamissimam, in qua Christi ortus, vita, mysteria, mors, christianorum festa, nativitas, circumcisio, passio, pascha, resurrectio, quadragesima, bacchanalia depinguntur et irridentur. Ex

praxi quadam sacra, quam affert et Vercellis viget, suspicari licet a judaeo Vercellensi esse profectam.

136 *Reposta a hum papel, afirmando quatro pontos fundamentaīs da religiāas christiam*, seu *Responsio ad scriptum quo IV fundamentales christianae religionis articuli defenduntur*, lusitanice MS.

Videlicet Messiam esse debere Deum et hominem, eum venisse, Isaiae cap. LIII de Christo agere, legis observantiam adveniente Messia cessaturam. Ostendere ergo conatur judaeus cap. I christianismum rationi ac sacrae scripturae adversari, II Messiam non futurum Deum et hominem, III eum non venisse, IV illud Isaiae caput ad christianorum Messiam non referri, V mosaicam legem perpetuo duraturam. Hoc ms. primum possidebat la Crozius, qui postea illud Wolfio concessit. Conferatur de eo la Crozius ipse in epistolis suis ad Crellium ac Kortholtum datis et *Thesauro la Croziano* insertis T. III p. 111 et 192, et Wolfius T. I p. 742 et III p. 663, ubi fusius describitur. Nunc extat in bibliotheca Zalusciana sub n. CCLIX. V. ej. bibliothecae *Specimen cat. mss. cod.* a Jo. Dan. Janozkio Varsaviae editum p. 78. In suprema folii prioris parte vocatur opus impium quidem, attamen eruditum, in ima vero haec legitur la Cro-

zii nota autographa: » Hoc opusculum ferme integrum in linguam latinam olim transtuleram, sed postea saniori consilio ob innumerabiles quae eo continentur, blasphemias, absolutam propemodum versionem abolevi. Mathurinus Veyssiere la Croze Berolini XII kal. sept. A. C. 1709 mpr. ». Habuit hoc idem opus etiam Jaquelotius, qui illud ab Amstelodamensi judaeo acceperat et Orobio, sed ex la Crozii judicio falso tribuebat, ut monet Wolfius priore loco.

137 * Roman R. Abraàm המחלקות סלע *Sèlah ammachlekòth*, *Petra divisionum*, MS. et seorsim הקדמה, *Praefatio ad hunc librum* 8. CPoli 1710.

Edita quidem haec in *Milchèmed chovà*, quod supra protulimus, sed liber ille, unde decerpta, cujus titulus ex I Sam. XXIII 28 petitus est, non modo ineditus, sed et Wolfio ac ceteris omnibus bibliographis est prorsus ignotus. Ejus tamen existentia et argumentum manifeste ex praefatione ipsa eruitur, in qua postquam breviter auctor christianae religionis originem, fundatores, ac primaria dogmata, seu trinitatem, incarnationem, Christi divinitatem et ortum ex virgine, a quo evangelistae ordiuntur, delineat et perstringit, recens quoddam polemicum Cyrilli patriarchae sui temporis, qui Cyrillus Lucar fuisse videtur, opus commemorat

contra judaeos, quod suo illi scribendo, seu suae confutationi occasionem dederit. Sane Cyrillus Lucar patriarcha CPolitanus graeca lingua vulgari quaedam contra judaeos scripsit, quorum apographum se habere testatur Hottingerus in *Bibliotechario quadr.* p. 387. Conf. Leo Allatius contra Hotting. p. 10 et de Spir. S. p. 506 et Wolfius T. II p. 1032. In Wolfio, qui de nostro auctore agit T. III et IV sub n. 153 c, et liber ille supplendus, et varia emendanda. Nec enim est, ut ipse autumat, antichristianae illius collectionis editor, seu illorum scriptorum collector, quum multo ante, ut ex sigla ר"י ejus nomini subjecta colligitur, is e vita decesserit, nec ejus praefatio est praefatio ejus libri, sed alterius ei praefixa, nec ejus nomen, quod in suo exemplari non invenit, sed aperte legitur in fronte, idem est cum Abr. Lev, ut perperam conjicit T. IV p. 725.

138 * Rophè R. Daniel תשובות *Tescuvòth* seu *Responsiones ad argumenta christianorum*, MS.

Autographae in cod. meo 402 ad marg. *Disput.* R. Sal. filii Mosis. Eae respiciunt potissimum trinitatem, Jacobi oraculum, Christi miracula, exilii diuturnitatem, Messiae adventum. Illud singulare quod Christi miracula admittit ac coactam fatetur in Jacobaeo oraculo suorum expositionem עד seor-

sim in sensu aeternitatis, ut sensus sit non defecturum sceptrum in aeternum, quando veniet Messias. וזה פי׳ זר אצלנו העבריים אלא לשבר אזן הנוצריים *Haec expositio*, inquit, *extranea est apud nos judaeos, sed ad confringendas aures christianorum*. In Wolfio nulla nec ipsius auctoris vestigia. Binas alias notas antichristianas, quarum una fusa Isaiae oraculum VII 14 de העלמה *Aalmà* conceptura examinat, habet hic idem auctor ad marg. excerptorum Kimchii, quae supra sub num. 7 occurrunt in eodem codice.

S

139 * Saadiae ס׳ האמונות *Sèfer emunòth*, *Liber articulorum fidei*, 4. CPoli 322, Chr. 1562, et Amst. 408, Chr. 1648.

Ita in plur. habent codices et editiones, non ס׳ אמונה *Liber de fide* in sing., ut habent Buxtorfius ac Wolfius. Editiones autem sunt ex versione heb. R. Jehudae fil. Saulis aben Tibbon, ut fidem faciunt in titulo CPolitana illa rarior ac princeps editio, qua utor, ac bini mss. mei codices, 83 et 417, non filii Samuelis, ut male notant Scabtaeus ac Wolfius T. I p. 993. Arabice enim librum auctor composuit. Composuit autem non anno 633, Chr. 873, ut mendose legunt in titulo CPol. editio et mss. omnes vel fere omnes codices, sed 693, Ch. 933,

ut invictis rationibus fuse demonstramus in *Catal. mss.* nostrorum *codicum* ad cod. 83, ubi multa de Saadia disserimus, variosque de eo bibliographorum errores detegimus. Locum porro in hac *Bibliotheca* nostro huic ejus libro assignamus ob tractatum II, in quo unitatem Dei adstruens, contra trinitatis mysterium acerbe disputat, et ob VIII, in quo de redemptione ultima per Messiam peragenda, de ejus certitudine, signis, termino, consolationibus ex prophetarum oraculis iterum contra nos agit. Quae singula enucleatius adhuc exponit ineditum hujus libri compendium, quod concinnavit R. Berachias bar Nitronai et sistit cod. noster 482. Idem est cum posteriori hoc tractatu, non diversus, ut recenset Wolfius, nostri auctoris ס׳ הפדות והפורקן *Liber de liberatione et redemptione*, qui seorsim sub hoc titulo prodiit Mantuae an. 316, Chr. 1556, Amstelodami 418 seu 1658, et Pragae sine anno, cum germ. vero versione Gedani recusus per Jo. Salomonem, qui et in libello *Die zertheilte Finsterniss* ib. edito an. 1681 eum confutavit. Antichristiana etiam non pauca habet Saadias in *Comm. in Danielem*, quae tamen in *Bibliis rabb. Venetis* 1525 quaerenda sunt, vel in mss. codicibus, quorum tres bibliotheca nostra suppeditat. V. cod. 308, 456, 728.

140 * Salomonis fil. Mosis ויכוח *Vicùach* seu *Disputatio contra christianos*, MS.

Extat in eodem codice nostro 402 n. 10, eaque non inedita modo est, sed et bibliographis omnibus ignota. Praemittuntur in judaei gratiam cum christianis aliquando disputaturi optima quaedam consilia ac monita de modo quo gerere se debet, deinde vero totidem minoribus sectionibus unitas Dei, Messiae praedictio, fides unica eaque israelitica in ejus adventu futura, regnum, universalis pax, universalis et aeterna israelis redemptio, Hierosolymitanae urbis reaedificatio, bellum Gog et Magog, mosaicae legis confirmatio aliaque ejusmodi ex sacris scripturis proponuntur et demonstrantur.

141 * Salomonis fil. Simeonis ben Tzèmach מלחמת מצוה *Milchèmed mitzvà*, *Bellum praecepti* 4. sine an. et loco.

Sed Liburni paucis abhinc annis una cum patris Simeonis ומגן קשת ס׳, de quo infra loquemur. Auctorem vix innuit Wolfius T. 1 p. 1082 sub n. 2024, vixque unicum ejus librum *Tikòn sopherìm*. R. Azulai in *Scem agghedolìm* P. 1 fol. 73 verso addit ex aliorum testimonio illius *Quaesita et responsa*. De nostro opere nec ii nec alius quispiam ne verbum quidem. Est in defensionem Talmudis contra Hieronymum de sancta fide, qui contra ipsum Talmud ejusque errores

insignem librum scripserat multories editum. V. Wolf. T. I p. 464. Eum quidem auctor primo non nominat, nisi sub nomine cujusdam ex epicuraeis, seu christianis. At vero paullo post diserte illum appellat *Hieronymum impium*, *cujus nomen ac memoria deleatur*. Singula ergo Talmudis loca fabulosa vel impia ab eo objecta expendit et explicat, hocque suum scriptum testatur ad calcem composuisse se in ismaelitarum urbe Alghezaidia mense chislev anno 5198 orbis conditi, aerae nostrae 1437.

142 * Scalòm R. Joseph תשובות *Teschuvòth* seu *Responsiones ad Epistolas magistri Alphonsi*, MS.

In cod. nostro 533. Tres adversus judaeos epistolas scripserat Alphonsus hic, Burgensis dictus vel Vallisoletanus, in quibus demonstraverat nomine IV regni a Daniele praenuntiati tamquam exscindendi ante Messiae adventum, regnum edom seu christianorum non posse intelligi, ex Danielis vero ipsius oraculo de LXX hebdomadibus et ex Talmudicis testimoniis Messiam jam dudum venisse ac frustra expectari. Tres has epistolas refellendas suscepit Josephus Scalòm eo scripto, cui Alphonsus iterum respondit. Singula haec polemica Alphonsi ac Scalomi opera continet ille codex noster 533, suntque singula tantae raritatis, ut nullam eo-

rum mentionem injiciant bibliographi sive judaei, sive christiani. Alphonsi enim *Epistolae* et *Responsa*, nihil commune habent cum ejus מלחמות ה׳ *Bellis Domini*, de quibus Nicol. Antonius in *Bibl. hisp. vet.* T. II p. 102, Reimannus *Introd. ad hist. theol. jud.* p. 501, et Wolfius T. I et III sub n. 322. Josephi vero Scalòm nec nomen ipsum Wolfio aliisque bibliographis notum est.

143 שאלות *Sceelòth* seu *Quaestiones XXX contra christianos*, MS.

Ab anonymo judaeo nobis oppositae ac objectae, quibus ad incitas nos redigi et os obturari credidit. Erant in bibl. Jablonskii. V. Wolfium T. II p. 1294, qui et earum specimen addidit.

144 שאלות *Sceelòth*, *Quaestiones* seu *Objecta XLVI ad christianum*, lusitanice MS. et latine a Coccejo versae et editae.

Leguntur in ej. Cocceii *Consideratio judaicarum quaestionum* 4. Amstel. 1644 et 1661 et T. VII Opp. Primum respondet anonymus ille judaeus Lusitanus ad quaestiones XXIII christiani cujusdam catholici, postea vero suas has XLVI ei solvendas proponit. Wolf. T. II p. 1049 et 1295.

145 * שאלות *Sceelòth*, seu *Objecta judaeorum in Matthaeum* 12. Paris. 1555.

Ad calcem *Evangelii Matthaei* hebraice a Tilio editi. V. et praef. ej. Evangelii 8. Ba-

sil. 1578, ubi virulentae illae objectiones repetuntur. Eas latine versas et confutatas exhibet Buxtorfius ad calc. *Synagogae judaicae*.

146 * Scem Tov fil. Isaaci ben Spròt אבן בוחן *Even bochàn*, *Lapis lydius*, MS.

Nescio quare Bartoloccius et alii legant *Sciprùt*, vel *Sciphrùt*, quum non שיפרוט, sed שפרוש *Scephròt*, vel ut communius judaei, *Spròt* constanter legatur hoc nomen. Ineditum hoc ejus opus, in quo ex professo impugnatur christiana religio, non in hac nostra modo bibliotheca, sed in aliis non paucis servatur, ut Leidensi, Medicea, Casanatensi, Collegii neophitorum Romae, Oppenheimeri, aguntque de eo bibliographi plerique, judaei ac christiani, multis tamen immixtis erroribus, iisque gravissimis, quos nimis longum esset recensere. V. annotata ad cod. nostrum 760. Inter hos ille minime tacendus, quod illud non filio, sed patri Isaaco Zacutus et Ganzius, utrique vero Bartoloccius ac Basnagius male attribuant. Liber, in quo bini interlocutores introducuntur, judaeus et christianus, ille sub nomine המיחד *ammejachèd*, *unitarii*, hic sub nomine המשלש *ammescalesc*, *trinitarii*, XVI constat sectionibus, quaelibet autem sectio variis capitibus. I sectio agit de articulis fidei judaicae, II de lege Mosis, III de Isaia ejusque prophetiis, IV de Jeremia, V de

Ezechiele, VIII de Proverbiis, IX de Daniele, X de Jobo, XI de Agadòth seu Talmudicis historiis, XII de articulis fidei christianae, XIII de Evangelio, XIV confutatio magistri Alphonsi, XV de resurrectione mortuorum, XVI de Messiae gestis ac signis. Quibus sectionibus quaestio subjicitur, alterius, ut videtur, auctoris, quidnam boni mundo Jesus adventus attulerit. Ita codex meus 760. Leidensis constat et ipse XVI sectionibus, sed alii nonnisi XIV enumerant, ut Mediceus et Collegii neophitorum, sicque primum auctor ipse in epigr. prioris. V. Biscion. *Catal.* min. p. 227. Videlicet habent hi seorsim ad calcem, quod habent illi in continuatione. Dissident et in ordine argumentorum. Rodriguez de Castro qui notat in *Bibl. hisp. rabb.* p. 230, in binas partes librum dividi, quarum altera de unitate agat, altera de trinitate, binos illos interlocutores confudit. Ex epigraphe illa medicea constat eum compositum fuisse a. 5145, seu 1385, non 1240, ut male habet Bartoloccius T. III p. 927. Nec idem ipse est cum Evangelio Matthaei, nec Parisiis editus, ut putat idem Bartoloccius. Evangelium illud est tantum libri pars, seu una sectio in nonnullis codicibus. Ceteri, eo omisso, solas objectiones retinent. Ex ea epigraphe emendanda etiam varia Montfauconii et Wolfii errata, qui ce-

teris fusius de hoc libro pertractat T. I p. 1127 et III p. 1135. Conf. Biscionius cit. loco et *Catal. mss.* nostrorum *codicum* ad cod. illum 760. Notat Bartoloccius T. III p. 52 Jo. Bapt. Jonam respondisse ad argumenta contra Evang. Matthaei nostri auctoris, quem mendose R. Chaiìm Ciprùt appellat, et *Responsionem* illam ms. servari.

147 R. Scem Tov ויכוח *Vicuàch* seu *Disputatio cum Petro de Luna cardinali in Aragonia habita*, MS.

In bibl. publica Parisiensi. V. *Catal. mss. bibl. reg. Paris.* T. I p. 13 cod. 144 n. 4, et *Catal. bibl. Colbert.* n. 5452 apud Wolf. T. III pag. 1134, qui conjicit esse R. Scem Tov fil. Josephi ben Palkira. Non dubito quin eadem cum nostra hac sit Disputatio illa anonymi rabbini cum eod. cardinali de peccato origin. quam ut extantem olim in bibl. Caroli de Montchal memorat Labbeus in *Bibliot. nova mss.* p. 208 et ex eo Wolfius T. II p. 1049.

148 שבועים שבעים *Scevuhìm scivhìm*, seu *De LXX hebdomadibus Danielis contra christianos*, MS.

Olim apud Gregorium Compagni de Scharintiis, qui et *Responsionem* ad eum reliquit. V. Imbonatum pag. 62. Incipit *Haec est porta Domini*, unde libri titulum desumpsit possessor, qui testatur in eo variis

capitibus, praecipue ex decem testimoniis V. T. probari falsam esse christianam religionem. Codicem describit Bartoloccius T. II p. 323, qui et ejus argumenta enarrat p. 329, et refellit p. 331.

149 * Segre R. Josuae תלוי אשם *Ascàm talùi*, *Delictum suspensi*, MS.

In biblioth. nostra in cod. 1271. Vercellensis erat auctor, sed rabbinus Scandiani, ubi paucis abhinc annis eum novi, et ubi paullo post diem obiit supremum octogenario major. In praefatione testatur is se hunc suum librum concinasse annos natum 23. Quod liber ipse per se satis prodit, juvenilis, protervus, impudens, temerarius. Constat is capitibus XXVII, quorum V priora auctor impendit in impugnanda trinitate et in examinandis ac diluendis scripturarum locis a christianis pro ea productis. Cap. VI agit de oraculo Jacobi, VII de libro antijudaico Julii Morosini *Via della fede*, ejusque argumentis nonnullis pro trinitate, et eorum confutatione, VIII ac IX argumenta alia aliaque scripturarum loca examinat in illius mysterii favorem a christianis prolata ex Pentateucho, X Prophetarum loca expendit quae favent Christi incarnationi et nativitati ex virgine, ac potissimum Isaiae VII 14, cui Matthaeus innititur, XI idem Isaiae oraculum resumit, cui et alia addit cap. IX ac

XLII, XII de passione ac morte Messiae pertractat atque Isaiae capitibus L, LI, LII, LIII a nobis objectis, XIII de variis Jeremiae locis ejusdem argumenti, XIV de prophetia Amosi cap II, XV de psalmis nobis faventibus, praesertim II, XXII, et CX, XVI de LXX hebdomadibus Danielis, XVII ac sequentibus de oraculis ac signis Messiae adhuc futuris et implendis, nec in Jesu nostro adimpletis, XXIV de nova Jesu lege seu evangelio, XXV ac seqq. de legis mosaicae immutabilitate. Cap. VI notat se in urbe Aquarum cum Gregorio Zaccati Florentini ducis concionatore de eo Jacobi oraculo disputasse, et praeceptorem habuisse R. Jehudam Bariel, cujus polemica opera supra protulimus, quod et cap. XIII confirmat. Latinis vulgatae nostrae versionis textibus identidem contra nos utitur, sed mendose plerumque referens ac supinam ubique prodens latinae linguae inscitiam, etiam quod mirum, ubi temere et injuria male translati fontis Hieronymum accusat. V. cap. XV ad Ps. CX et *Catal. mss. nostrorum codd.* ad hunc librum.

150 * סליחות *Selicòth* seu *Preces et Cantica pro remissione peccatorum* fol. Barci 257, Chr. 1496.

Multa in hac editione occurrere adversus christianos directa, quae in nostro exemplari delera sunt, in hodiernis vero editionibus

eliminata, jam observavimus in *Annal. sec. XV* p. 108, selectisque etiam confirmavimus exemplis. Eorum non pauca retinuit Pisaurensis vel Fauensis a Soncinatibus curata sub in. sec. XVI, nec dubito quin retineant antiquae aliae editiones harum precum varii ritus, ut retinent mss. earum codices nonnulli a Wolfio allati T. II pag. 1383 et 1384.

151 Simeonis bar Tzèmach מגן אבות *Maghèn avòth*, *Clypeus patrum*, MS.

In Bodlejana inter codices Mareschallianos n. 5239, et in Oppenheimeriana, cujus *Catalogus* in classe mss. fol. 11 verso notat agere מיסודות ועקרי האמונה *De fundamentis et articulis religionis*, et in III partes divi- di, quarum 3ª quae dicitur pars Jacobi, de cognitione Dei disserit et de retributione et poena, codicem vero esse pretiosissimum charactere exaratum hispanico in folio. Rectius id quidem, et enucleatius, quam a *Catal. Bodlejano* fiat, qui monet agere de philosophia morali, vel a Zacuto et Buxtorfio, qui scribunt ostentari in hoc libro doctrinam ex Talmude et omnibus aliis scientiis, vel a Ganzio denique, eumque secutis Scabtaeo pag. 39 n. 73, *Sedèr adoròth* fol. 170 verso, ac Wolfio T. I p. 1148, qui tradunt esse commentationem in Gemaram. R. Azulai in *Scem aghedolìm* P. II fol. 54, praetermisso Ganzio hujus erroris fonte ac

Scabtaeo, Sedèr adoròth de hoc redarguit, docens esse commentarium in Pirkè avòth excusum Liburni, reliquasque hujus libri partes de variis scientiis ibidem prodiisse. Ex articulis quos infra subjicimus, constat jam agi in hoc libro etiam directe contra christianos, ac prohinde librum illum *Maghen avòth*, quem ut anonymum et a nostro diversum refert Scabtaeus n. 72, et ex eo Sedèr adoròth cit. l., et Wolfius T. II p. 1327, notantque esse disputationem de religione turcarum, karaeorum et christianorum, unum eundemque esse cum nostro hoc Simeonis bar Tzèmach, a quo illi perperam distinxerunt. Quod vel ex ipsa Legeri appendice ad Buxtorfii *Biblioth. rabb.* p. 114 ed. Herborn. dignoscere poterat Wolfius, si eam consuluisset. Eorum autem omnium continet confutationem, non solius fidei mohammedicae, ut habet Hottingerus *Biblioth. orient.* pag. 21, Reimannus *Hist. theol. jud.* pag. 99, et ex iis Koëcherus *Nova bibl. heb.* T. I pag. 129.

152 * Ejusd. פתירת אמונת הנוצרים *Pediràd emunàd annotzerìm*, *Expositio fidei christianorum*, 8. CPoli 1710.

Excusa in *Milchèmed chovà* hujus anni et loci a fol. 38 verso ad 68, et excerpta ex praecedenti majore opere *Maghèn avòth* sub novo illo titulo. » Christiani, inquit,

quamvis credant legem datam Israeli per Mosem esse divinam, contendunt tamen contra nos eam in evangelium immutatam fuisse per Jesum Nazarenum ». Contrarium ergo ex IV capitibus conatur evincere, I quod adulterant in hoc intentionem Jesu Nazareni vel ab ea aberrant, II ex fide eorum, in qua et aberrant ab intentione ej. Jesu, III ex falsitate quae extat in eorum narrationibus et promissis, IV ex defectu intelligentiae ipsius Jesu ac discipulorum ejus, et ex eorum fallaciis erga plebem. Primum probare nititur ex testimoniis Jesu et apostolorum, secundum ex talmudicis locis cum evangelicis collatis de Jesu nostro, quem eundem esse cum talmudico filio Stadae et Pandirae contendit, tertium ex narrationibus variis ac promissis ex evangelica historia depromptis, quae falsitatis impudenter accusat, postremum ex non paucis scripturarum locis, in quibus Jesus vel ejus discipuli erraverint. Fol. 63 subjicitur caput III de adventu Messiae, Jesum nostrum impugnat, objectasque difficultates diluit, proponit quinque prophetias ac totidem res in Jesu non adimpletas, et explicit, proferens folio 68 ex *Veelle scemòth rabba* decem alias a Deo patrandas in renovatione seculi futuri. Ex fol. 56 eruitur annus, quo auctor scribebat. Notat enim christianos tunc numerare annum 1423, judaeos 5183.

153 * Ejusd. קשת ומגן *Kèsced umaghèn*, *Arcus et clypeus*, 4. sine an. et loco.

Sed Liburni, ut ex judaeorum ore accepi, et ex Azulai testimonio constat supra prolato. Synagogae tamen procerum auctoritate suppressa sunt exempla, et in orientem delata. Binas complectitur partes ex eodem *Maghèn avòth* desumptas, alteram, qua christianos, alteram qua ismaelitas seu turcas impugnat. Prima eadem omnino est cum praecedenti *Expositione*, nisi quod hic plenior ab initio sit, statimque incipiat a cap. IV P. II ms. illius libri, CPolitana vero paullo post, seu linea 20 Liburnensis a verbis הנוצרים עם האמינם quae superius dedimus latine translata. Extant etiam inter utramque variae lectiones non paucae, quae ostendunt ex diversis codicibus esse petitas. In hjs prior illa accuratior, sed typi detriti, nostra recentior ac nitidior, sed valde mendosa. Fol. 14 verso additur Commentarius nostri in Psal. XIX *Coeli enarrant gloriam Dei* de praestantia divinae legis, fol. 16 occurrit confutatio turcarum, 26 vero appendicis loco subjiciuntur ex eodem *Maghèn avòth* IV alia excerpta antichristiana, contra trinitatem et incarnationem potissimum directa. Sequitur fol. 27 verso filii Salomonis *Milchèmed mitzvà*, de quo supra diximus.

154 Simeonis judaei *Altercatio cum Theophilo christiano* ab Evagrio edita.

V. Martene et Durand *Thesaur. anecd.* T. V. Prodiit ex ms. bibl. Vindocinensis.

155 סוד קץ הגאולה *Sod ketz agheulà*, *Mysterium termini redemptionis*, MS.

Excerptum est ex R. Simeone ben Jochai et R. Jehudà Passi vel Chiug, et ex Daniele adstruere conatur Messiae adventum futurum an. 5230 seu 1470. Ms. extat in Vaticana. V. ej. *Catal.* T. I p. 76 ad cod. 105 num. 10.

156 * Soesman R. Eleazaris *Epistolae ad Eggo Tonkens van Hoevenberg*, hollandice, 8. Amstelod. 1742.

Una cum epistolis ipsius christiani. Plures eae sunt, utrinque datae, et partim simul, partim seorsim editae. Judaei nostri sunt XI. Eae suppressae sunt ac rarissimae. Judaeus idem est cum Eliezer Zosman, qui Zevi *Theriacam judaicam* Amstel. an. 1737 recudit.

T

157 * תלמוד בבלי *Talmud babylonicum* cum *Tosephòth* ac var. *Comm.* fol. 12. voll. Ven. 270, Chr. 1520 et al. edit., et seorsim *Tract. varii* Soncini, Pisauri, CPoli et alibi.

Primariam ac rariorem Bombergii editionem secutae sunt Veneta Justinianaea, Basileensis, Cracoviensis, Lublinensis, Amste-

lodamenses binae ac totidem Francofurthanae a Wolfio descriptae T. II p. 896 ad 908, quibus Amstelodamensis alia accedit, quam a Josepho Proops curatam vidi ab an. 512 ad 525, seu a 1752 ad 1765, et Vindobonensis quae modo excuditur typis Josephi Hraschantzi ad Amstelodamenses exacta, cujus jam septem vel octo priora volumina prodierunt. In Basileensi tamen Marini Brixiani opera omissa sunt antichristiana loca et integer liber *Avodà zarà*. Tractatus etiam non pauci seorsim multoties excusi. De antiquis horum editionibus, quae sunt reliquis integriores ac potissimum huc faciunt, conferantur *Annales* nostri *sec. XV et Annal. a MDI ad MDXL*. Sunt sane in vastissimo hoc opere multa utilia, quaeque sacras antiquitates, leges, ritus, historiam egregie illustrant, multa quae recentiores judaeos, seu recentiorem eorum theologiam eorumque errores luculenter confutant, multa quae christianam religionem aperte confirmant. Multi etiam sunt auctores qui insignem hunc ac multiplicem Talmudis usum uberrimis exemplis demonstrarunt, nosque ipsi fuse alibi eum ostendimus. V. *Esame delle Riflessioni teol.-crit. contro il libro della vana aspettazione degli ebrei* p. 55 ad 80. At vero non pauca quoque in eo sunt commentitia ac fabulosa, non pauca absurda, non

pauca in servatorem nostrum, in ejus matrem sanctissimam, in apostolos, in christianos injuria. Quam notam frustra ab eo avertere conantur judaei ac christiani quidam scriptores, qui contendunt Jesum talmudicum non esse nostrum. Ex prioribus ita Nachmanides, R. Jechiel, R. Lipman, R. Ghedalias ben Jachia, R. David de Pomis, R. Moses Coèn, R. Salomon Zevì, ex posterioribus Galatinus, Micraelius, Gaffarellus, Paul. Riccius, Schickardus. Sed aliter sentiunt scriptores plerique utriusque nationis. Eundem omnino esse fatentur ex judaeis potissimum Aben Ezra, R. Abr. ben Diòr, R. Abr. Peritzol, vel Frissol, R. Abr. Zacutus et alii, et R. Simeon bar Tzemach in eo libello excerpto ex *Maghèn avòth*, quem supra commemoravimus CPoli editum sub titulo *Expositionis fidei christianorum*, Liburni vero sub alio *Arcus et clypei*, fol. 41 prioris editionis, 4 posterioris non modo fatetur sed et illud ex talmudicorum locorum collatione demonstrat. Quod iterum infra confirmat contra R. Jechielem. Nec aliter profecto suadent utriusque notae ac circumstantiae. » Producant nobis, inquit Pfeifferus *Theol. jud.* p. 214, ex historiis alium quemdam Jesum, qui fuerit Nazarenus, vel ita vulgo nuncupatus, filius Mariae, habuerit discipulos, nominatim Matthaeum, Jaco-

bum et Thaddaeum, ipsorum sententia seduxerit populum et sit causa reprobationis judaeorum, suspensus sive crucifixus in vespera paschatis etc., quae omnia in Talmud de *Jesu Hannozrì* dicuntur, et sic excusent talmudicas blasphemias ». Haec Pfeifferus qui in tota exercitatione v illius libri, seu in *Obtrectatore apella* antichristiana haec talmudica loca ac calumnias sat copiose recenset. Quod alii plures ex nostris fecerunt. Atque ut sunt in hisce locis talmudicis nonnulla quae contradicunt Evangelio, hinc in Talmude, de cujus fide dubitare sibi nefas est, Evangelium ipsum seu Novum Testamentum refutari et putant et gloriantur judaei. V. Lusitani rabbini *Colloquium Mittelburgense* in Mulleri *Judaismo* pag. 42, vel apud Wolfium cit. T. II pag. 985, qui recte quidem observat si calumniari audacter, convicia torquere, impudenter comminisci, historias et res gestas pervertere, refutare est, praeclare hoc officio defunctos talmudistas, sed minus recte negat recentiora judaeorum scripta in christianos exarata ad Talmud provocare, tamquam in quo alia et veriora quam in evangelica historia occurrant. Provocat enim cit. l. R. Simeon bar Tzemach, et ex Talmudis auctoritate sacros nostros scriptores eorumque narrationes falsitatis accusat.

158 * תפלות *Tephilòth* seu *Preces totius anni varii ritus*, MS.

De minoribus judaicarum precum libris ac compendiis idem dicendum quod de Machazorìm supra diximus. Sistunt et illi preces nonnullas, ac praesertim binas illas celeberrimas *Bircàd amminìm* et *Alènu*, quibus Christum et christianos impeti putant scriptores nostri plerique, ac cod. ms. Norimbergensis, bini mei 159 et 1033, ac Jarchius luculentissime confitentur. Eae tamen intactae et integrae frustra quaeruntur in hodiernis editionibus, in quibus verba nobis injuria vel immutata sunt, vel penitus sublata. Antiquiorum sec. XV vel ineuntis XVI vix extant fragmenta, vixque eorum verborum vestigia, vel vacuum illorum spatium exhibent. Ea ergo ex mss. codicibus necessario haurienda, quorum nonnullos bibliothecae variae possident a Wolfio recensitos, nostra vero haec octoginta et amplius.

159 תשובות *Tescuvòth* seu *Responsa XXX contra christianos*, MS.

Constabant foliis sex et extabant in collectione quadam ms. bibliothecae Jablonskianae. V. Wolf. T. IV p. 485. Quae in cod. 126 bibliothecae Uffenbachianae reperiuntur *Tescuvòth* seu *Responsiones ad christianorum contra judaeos argumenta*, eae eaedem sunt cum libro *Nitzachòn*. V. Maii *Catal.* p. 383.

160 * תשובות באנשי און *Tescuvòth*, seu *Responsa ad viros iniquitatis*, MS.

Quater in bibliotheca nostra in cod. 120, 122, 124, et 1269. Quinque sunt haec responsa ad totidem christianorum objecta, et de iis sub peculiari hoc titulo nihil Wolfius, sed eadem videntur cum *Responsis adversus corruptores*, quae mss. extant Tiguri in biblioth. Carolina, teste Hottingero in *Biblioth. orientali* et in *Thes. philol.*, et Wolfio T. II p. 1472. Prima objectio est quod lex mosaica nornisi bona corporalia promittat, II quod Davidis verba *ante solem nomen ejus* Jesum respiciunt, III quod Isaiae oraculum *ecce virgo concipiet* de Jesu est intelligendum, IV idem de Psalmo *Dixit Dominus Domino meo*, V quod Jesus miracula ejus divinitatem demonstrant.

161 * תולדות ישו *Toledòth Jescù*, *Generationes Jesu* cum lat. versione et confutatione Wagenseilii in *Telis igneis* 4. Altorf. 1681.

» Execrabile scriptum, ut recte notat Wolfius T. II p. 1443, perditissimi judaei nescio cujus, quo ineptae et scurriles, sed malignitatis plenissimae fabulae de sanctissimi servatoris nostri ortu, vita et factis afferuntur ». Per summam enim impudentiam comminiscitur eum ex illegitimo Josephi cujusdam Pandirae ortum concubitu, ac grandaevum factum magiam et ineffabile Dei no-

men didicisse, cujus virtute multa patrarit miracula, multosque ad sui fidem ac sequelam pertraxerit, donec tandem sacerdotum ac synedrii consilio Judaeque arte ac fraude captus fuerit suspensus. Quorum futilitas et falsitas patet adeo per se, ut non multum laborandum fuerit Wagenseilio aliisque scriptoribus, qui eorum confutationem susceperunt. » Quisquis legit, inquit Zimmermannus *Opusc. theol. et phil. arg.* T. I P. II p. 78, facile deprehendet non solum omnia ex meris mendaciis esse composita et male cohaerentia, sed et ita comparata, ut nemo nisi stultus iis decipi possit ». Sed inter haec ipsa mendacia elucet mireque favet christianorum religioni et caussae miraculorum veritas tam luculenter testata, quorum » tanta fuit evidentia, ut verbis utar Raymundi Martini in *Pugione fidei* ed. Lips. p. 364, tanta magnitudo et multitudo, tanta excellentia et certitudo, quod judaica pravitas quo erumperet, non habebat. Confugit ergo ad proprium suum quod est mentiri, libellum mendaciis plenum atque blasphemiis turpibus componendo ». Antiquum porro eum esse et a multis retro seculis concinnatum vel ex hoc ipso patet, quod illum sua jam aetate commemoret ac producat hic auctor, quamquam paullo diversum, ut idem Wagenseilius ostendit. Differunt enim inter se

codices et exempla sive quoad titulum, sive quoad contextum. Sub nostro hoc communiori titulo extat inter nostros codices mss. sub n. 124, sub altero *Mahassèh Jescù* seu *Historiae Jesu* in 96, sub alterutro vel sub aliis מעשה תולע vel מעשה תלוי *Mahassèh tolàh*, *Mahassèh talùi*, *Historia suspensi* in aliis bibliothecis, ut nihil insulsius, quam id quod notat auctor *Des Recherches philos. sur les americains* T. II p. 196 in Pfeffercornii persecutione postremum hujus libri, quem mendose *Toldos Jescut* appellat, exemplar fuisse concrematum. Nihil etiam insulsius eo quod in *Mélanges philos.* T. III p. 340 contendit Volterius libellum hunc, quem et ipse sub mendoso eo titulo perpetuo nominat, et fatetur meram esse rabbinicorum somniorum rapsodiam, *un ramas des réveries rabiniques fort au dessus de mille et une nuit*, non antiquius modo scriptum esse quod judaei ad nos demandarint adversus nostram religionem, sed primo ipso, ut sibi videtur, ecclesiae seculo et ante evangelia ipsa compositum et editum. Multo aliter incredulus alter judicat: » L'auteur vivoit-il y a environ quatre ou cinq-cens ans, quoiqu'il ait tâché de se déguiser le plus qu'il lui a été possible, dans le dessein que son ouvrage passât pour avoir été composé peu de tems après la mort du legislateur des nazaréens.

Cependant on a découvert aisement la supposition du prétendu ms., et les nazaréens loin d'en craindre les suites, ont pris eux-mêmes le soin de le publier. Il n'est rien de si affreux, mon cher Isaac, que les impostures qui sont insérées dans l'ouvrage, dont je viens de te parler. Que nos rabbins soûtiennent avec force que le legislateur des nazaréens ne fût point le Messie, je trouve qu'ils agissent conformement aux principes de leur réligion; mais qu'ils inventent les faussetés les plus atroces, rien ne sauroit les excuser ». Marquis d'Argens *Lettres juives* T. VII p. 159. In quo judicio, cujuscumque aetatis et auctoris sit liber, judaei ipsi doctiores, ut alibi monuimus, conveniunt. Zalman Zevi eum ab apostata in judaeorum odium concinnatum putat, Mendelssohnius esse ex eorum numero *qu'aucun juif raisonnable ne lit, ni ne connoît*, nullusque est ex tot judaeorum auctoribus qui adversus christianam religionem ejusque institutorem scripserunt, qui infami hoc ac vere stygio foetu utatur. V. *Della vana aspettazione degli ebrei* p. 189. Dubitandum porro non est quin noster hic *Toledòth Jescù* sit liber ille *intitulado Mar Mar Jesu, lleno de blasfemias contra nuestro redentor Jesu Christo*, quem in bulla sua XI maji an. 1415 Valentiae data judaeis retinendum

vel legendum antipapa Bened. XIII seu Petrus de Luna severe prohibuit. V. Rodriguez de Castro *Bibl. espan.* T. I p. 223.

162 * תולדות ישוע הנוצרי *Sefèr Toledòth Jescùah annotzerì*, *Historia Jeschuae Nazareni*, cum lat. vers. ac confut. Huldrici 8. Lugd. Bat. 1705.

Exemplar ejusdem nequissimi libelli *Toledòth* a praecedenti diversum. Saepe enim, ut in putidissimis commentis usuvenit, discrepant, ut mox diximus, immo et sibi contradicunt hujus furfuris libelli exempla et codices. Quod vel ex ipso eorum exordio instituta ms. nostri codicis cum Wagenseiliano et Huldriciano comparatione, demonstramus ad cod. nostrum 96. Ex fabula de servatore pila ludente et aliis Huldricianus congruit cum *Mahassè tolàh* a Wagenseilio commemorato in confut. *Toledòth Jescù* p. 43. Perperam autem qui illum confinxit, ad R. Jochanan ben Zaccai ad calcem retulit. V. Huldrici notas p. 1 et 109, et Wolf. T. II p. 1445. Huldrici editionem tamquam raram notat Engel in *Bibl. sel.* p. 77.

163 * תולדות השלוחים *Toledòth asceluchìm*, *Historiae apostolorum et Pauli Ep. ad Romanos examinatae et refutatae*, MS.

Seu anonymi judaei objecta in Actus apost. et illam Pauli Epistolam ab iis quae extant in R. Isaaci *Chizùk emuna*, diversa.

Ea complectitur cod. noster 1268 et videntur esse R. Jeh. Briel. V. dicta superius ad ejus *Animadversiones in evangelia*.

164 * תוספת *Tosèfeth*, *Additamentum ad Chelimàd agoìm*, seu *Opprobrium gentium*, MS.

In codicibus nostris 120 et 122. Plura sunt haec additamenta, partim textui subjecta, partim ad marginem. Eorum auctor praefationem ac carmen praemisit, in quo solo הכותב seu *scribentis* nomine se distinguit, sed ex verbis יעקב קול קול דקול quae utrobique habet, videtur Jacobus quidam fuisse.

165 *Treatise of the future restoration of the jews and israelites to their own land*, seu *Tractatus de futura judaeorum et israelitarum restitutione in propriam terram*, anglice 8. Londini 1747.

Sex constat sectionibus, quibus agitur de futura restitutione XII tribuum, de invasione ac bellis gentium earumque destructione a Deo patranda, de Messiae regno summaque et aeterna judaeorum felicitate.

V

166 ויכוח נגד הנוצרים *Vicùach nèghed annotzerìm*, *Disputatio adversus christianos*, MS.

In Vaticana in cod. 286 num. 9. V. ej. *Catal.* T. I p. 263. Ex prophetis et aliis sacris libris probare nititur adventum Messiae futurum post secundam eversionem templi.

167 ויכוח *Vicùach* seu *Disputatio judaei cum philosopho christiano Coloniensi de incarnatione*, MS.

In bibl. senatoria Lips. inter codd. Wagenseil. n. 17. Wolf. T. II p. 1048 et 1293.

168 ויכוח *Vicùach* seu *Disputatio contra evangelium*, MS.

Qua demonstrare conatur auctor evangelii verba sibi contradicere, aliaque contra idem evang. הקושיות *Objecta* seu *difficultates* proponuntur. Extabat in collectione quadam antichr. apud Jablonskium, quae deinde ad Ungeri manus, postremo ad bibl. senatoriam Lips. pertransiit. V. Wolf. T. IV p. 485. Nostra haec disputatio dicitur descripta a Saul Merari die XXI mensis sivan an. 455, Chr. 1695.

169 ויכוח *Vicùach* seu *Disp. inter judaeum et sacerdotem christianum*, MS.

Olim apud Jablonskium in ea collectione, modo in eadem bibl. senatoria Lipsiensi. Habebat folia 52, ac subjecta pro Dei unitate plura Lactantii, Ciceronis, Platonis, Zenonis, Aristotelis etc. testimonia. In fine sacerdos ille, seu כומר, appellatur don Selvano Tzerer, ut legit Wolfius, vel Ratzi, ut Ungerus in epistola ad la Crozium, dicitur-que absoluta ab amanuensi die XIX mensis tamuz a. 456, Ch. 1696. V. Wolf. cit. l.

170 ויכוח אמונה *Vicùach emunà*, *Disp. de fide* seu *Miscellanea contra christianorum fidem*, MS.

In bib. Uffenbachiana. V. Maii *Catal.* p. 146 sub cod. 90 folio 11 et 12.

171 ויכוח תשובה למינים *Vicùach tescuvà leminìm*, *Disputatio qua respondetur haereticis* vel *christianis*, MS.

In bibl. Oppenh. V. Wolf. T. II p. 1293.

172 * ויכוח *Vicùach* seu *Disputatio de religione* Ferrariae habita anno 1617, MS.

Inter codices nostros sub num. 344. In titulo dicitur in ea urbe et mense aprili ejus anni publice habita inter auctorem et Alphonsum Caracciolum a soc. J. ex mandato card. Spinolae et ex consensu inquisitoris Scarellae. Disputatum est num teneantur judaei christianorum fidem ac Messiam suscipere, id contendente christiano, negante judaeo. Wolfio ignota.

173 * ויכוח *Vicùach* seu *Disputatio contra divinitatem Jesu*, MS.

Fragm. extat in cod. nostro 170. Pugnat potissimum exemplis. Si is sine patre, sic Adam, si in caelum elatus, sic Elias, si dictus Dei filius, sic israel, si miraculis clarus, sic Elias, Moses, Josue.

174 ויכוחים *Vicuchìm* seu *Disputationes judaei anonymi ad loca controversa N. T.* MS.

Extabant in bib. Guil. Anslarii, in cujus *Catal.* p. 36 recensentur. V. Wolf. T. II p. 1294.

175 Vidal ben Levì קדש קדשים *Kodesc kodascìm*, *Sanctum sanctorum*, MS.

Est contra Hieronymum de sancta fide, seu contra id quod is contra judaeos ac Talmud conscripserat. V. Scabtaeum p. 66, Buxtorfium p 176, Bartoloccium T. II p. 805, et Wolf. T. I p. 354 et 464. Vidi apud judaeos Mutinenses. Perperam ergo illud non extare notat Wolfius posteriore loco. Quod nec ex Scabtaeo colligitur, ad quem appellat.

176 * Usque R. Samuel *Consolacam as tribulacoens de Ysrael*, lusitanice 4. min. Ferrar. an. 5313, Chr. 1553.

Amstelodami recusus in 8. retenta priori aera. Utraque editio rarissima. V. Wolf. T. III p. 1071 et *Comm.* nostrum *hist. de typogr. heb. Ferr.* p. 64. Dialogo III agit de vindictis super Edom seu christianis a Deo sumendis et futura israelis felicitate, easque prophetarum oraculis confirmare conatur. Multa etiam contra nos, ut illic observavimus, contra beatum Vinc. Ferrerium et statutam in Hispania ac Lusitania inquisitionem evomuntur.

177 * Wagenseil Jo. Christoph. *Tela ignea satanae, hoc est arcani et horribiles judaeorum adversus Christum Deum et christianam religionem libri* ἀνεκδότοι. *Additae sunt latinae interpretationes et duplex confutatio* 4. Altorfi Noric. 1681.

Libri contenti sunt R. Lipmanni *Carmen memoriale*, *Liber Nizzachòn vetus*, *Disputa-*

tio R. Jechielis, *Disputatio* Nachmanidis, R. Isaaci *Chizùk emunà*, et *Toledòth Jescù*, de quibus singulis sub eorum auctoribus vel titulis agimus. Collectio in hoc genere insignissima, christianis theologis adversus judaeos disputaturis summopere necessaria ac commendanda. De ea *Acta erud.* ad annum 1682, Carpzov. *Introd. in theol. jud.* c. XI, Fabric. *Hist. suae bibl.* T. V p. 348 et alii, de ejus raritate Osmont *Dict. typ.* T. II p. 342 et de Bure *Bibliogr. instr.* T. I p. 503.

Z

178 * Zevi R. Zelman seu Salom. צרי היהודים *Tzorì ajeudìm*, *Theriaca judaica*, judaeoteutonice 4. Hanov. 375, Chr. 1615, et Altorfi 1680, in 8. Amstel. 497, Chr. 1737.

Sunt apud nos binae posteriores editiones, quarum altera Wulferi cura prodiit, altera Eliezeris Zosmanni filii Isaaci Rodelsomi in domo R. Mosis Francforthi. In hac non modo abbreviata est auctoris praefatio, sed et contextus non parum immutatus, potissimum quoad dialectum, cui communiorem et magis popularem R. Aaron filius Isaaci substituit. Liber septem constat capitibus, refutaturque in eo Samuelis Friderici Brentii *Judischer abgestreiffter schlangelbalg*, *Judaica leberis detracta seu solida detectio et depulsio omnium conviciorum et mendaciorum*,

quibus judaei in Christum et christianos utuntur, quae praecedenti anno 1614 Norimbergae lucem adspexerat. V. Wolf. T. I p. 358 et 1116. Patet autem ex cap. VII auctorem nostrum, ut christianis ac judaeis satisfaceret, utrisque litteris, germanicis et rabbinicis, librum suum edidisse.

179 * Idem liber latine ex *Versione* et cum *Animadvers.* Wulferi 4. Norimb. 1681.

Sub titulo *Theriacae judaicae ad examen revocatae*. Praemissus germanicus uterque Brentii ac Zevi liber, sed posterior rabbinicis litteris et Altorfi, ut diximus, recusus. Latinae cujusque capitis versioni fusae subjiciuntur et eruditae Wulferi notae et animadversiones, in quibus judaei responsa et objecta perstringit ac saepe mendacii redarguit. Librum alium in hoc suo multoties Zevi noster commemorat, a se compositum לנוצרים, qui ad antichristianos et ipse esset referendus, si verbum hoc verti deberet *contra christianos*, ut malunt Schoëtgenius et Wolfius T. III p. 245. Sed fallitur uterque. Vertendum *christianis*, *ad christianos*. Neque enim illic adversus christianos agit, sed in suorum apologiam ac defensionem christianis ostendit apostatas judaeos saepe eis imposuisse, multaque de suis propinasse falsa et absurda.

ADDENDA

180 * Abraam Gher seu Proselyti *Forteza del hebraismo e confusion del estraneo*, ital. MS.

Inedita et ignota versio italica hispanici operis hujus auctoris, quod supra sub n. 2 retulimus, sero ad manus nostras delata.

181 * Athiae R. Isaaci *Fortificascion de la ffee*, *Munimen fidei*, hispan. MS.

Est hispanica translatio libri *Chizùk emunà*, de qua diximus sub n. 17 pag. 19. Hunc titulum exhibet exemplar quod nuper sumus consecuti. In fronte dicitur *traduzido de hebrayco en romanse por Ishack Atias anno* 5381, seu 1621, sed hoc infra subjecto ut non tam versionis is esse videatur quam codicis. In locis non paucis ab utraque editione dissidet, Altorfina et Amstelodamensi.

182 * *Perguntas* seu *Preguntas contra os adversarios*, *Quaestiones contra adversarios* seu christianos, lusitanice MS.

Extant in bibl. nostra tamquam appendicis ac II partis loco ad calc. superioris codicis Isaaci Athiae. Eae sunt numero ducentae, omnes contra N. T., nec notae, nisi easdem esse conjicias cum iis quas ut hispanicas et a Masio lectas ms. Rudolphi Capelli nota commemorat. V. Wolf. T. II p. 1051.